PERILLUSTRI AC REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO ALOYSIO ANGELI...

Lorenzo Campeggi, Agostino Valier



PERILLUSTRI AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

ALOYSIO ANGELI

ECCLESIAE PAROCHIALIS S. STEPHANI PROT.

PAROCHO MERITISSIMO,

CONGREGATIONIS S. MICHAELIS ARCHANGELI

ARCHIPRESBYTERO,

METROPOLITANAE S. MARCI VENETIARUM BASILICAE

CANONICI HONORARII DIGNITATEM

INEUNTI

CLERUS UNIVERSUS PRAEFATAE

PAROCHIAE INSERVIENS

D. D.

VENETIIS

APUD FRANCISCUM ANDREOLA

IV. KAL. FEB. MDCCCXXIV.

Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua .... nuntiantes .... virtute prudentiae populis sanctissima verba : haereditas sancta nepotes eorum. ... filii eorum propter illos usque in aeternum manent ; semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.

Eccli. 44.

REVERENDISSIMO D. D.

ALOYSIO ANGELI

PAROCHO, ARCHIPRESBYTERO, CANONICO, ETC.

S. P.

Si comitas tua, Reverendissime Domine, et caeterae dotes, quibus ornaris, nobis potissimum non innotescerent; munus quod Tibi audemus offerre, haud offerremus; praecipue cum per alíus generis praecones, quam per nos, laudes tuae mererentur extolli. Ast dilectionis tuae erga nos pignora certa et innumera habentes, alacriter Tibi laetitiae nostrae ob hujus diei gloriam, quam merito adipisceris, aeque ac reverentiae ob praeclara merita tua, documentum non minimum exhibemus. Quocunque illud respicias, una ex caussa tantummodo perexiguum est, quippe quia offerentium manibus aliquanto vilescit: caeterum et animo magnum, et re maximum, et Tibi hodie nova praedito

dignitate omnimode aptum reperies. Nil igitur nobis est timendum, ne illud rejicias invitus; cum sit optimi Patris filiorum amoris signa quaecunque non tam non rejicere, quam benigne recipere. Et quamvis certum sit, juxta Romanae Eloquentiae Principem (Off. lib. 1. c. 20.) animum tuum ideo fortem esse et vere magnum, quatenus et maxima, et utilia, et vehementer ardua, et plena laborum semper gessisti, ac, quod pluris est, honesta appetens, externa quaelibet despexisti, et despicis, et despicies; attamen munus nostrum benevole excipiens, sine, quaesumus, ut novam gloriam gloriae tuae, quae jam patet; adjiciamus. Parcat autem modestia tua, si, non assentationis, ut plurimum, sed sincerae veritatis ergo quaedam in medium proferemus ad tuam hujus diei gloriam magis magisque firmandam; praecipua nempe recordantes, quae Sacerdotalis vitae tuae historia, facta suppeditat. ,, Gloria summa et perfecta, Cicerone docente, (Off. lib. 2. c. 5.) ,, constat tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore nos dignos ,, putat ,,. Contemptis prorsus quarumdam ranarum clamoribus, quae inflatis buccis in Solem strepitant ubique radiantem; quis sapiens et bonus reperitur, qui Te recte noscens non diligat? Te pauperes Patrem, te divites Nobilem, te amici, non verbo, sed opere Amantem praedicant. Et cives, et advenae, et gregis tui oves, et Veneti universi, quanta gesseris affirmant unanimes, summaque idcirco dilectione Te prosequuntur. De fide vero quae Tibi in hac Dioecesi, et ubique, habita est et habetur adhuc, quanta silemus, praeter

illa quae meridiana luce clariora sunt, ne Tibi molesti simus? Satis superque erit reminisci Te unum ex Clero, difficillimis illis temporibus, quibus Venetae Ecclesiae color optimus est mutatus, per Tui prudentiam et labores fortiter obstitisse, ne furens procella baccharetur omnino, navisque thesauros absorberet insolens unda. Hinc Te nautam expertum inter fluctus sive placidos sive tumentes, dummodo vera scriptis historia tradat, posteritas appellabit; quantumque fidei habuerint Tibi universi (paucis conçessus favor!) perpetuo agnoscetur. Quapropter nil mirum, si fel. rec. Emin. Card. Ludovicus Flangini Patriarcha Te ad honorabile munus Pastoris vocaverit olim Parochiam regentis Archangelo S. Michaelis dicatam; nil mirum si a Clero Congregationis sub Archangeli ejusdem titulo erectae Te creatum Archipresbyterum, inde Pro-Synodalis Examinatoris honore insignitum, ad novam S. Stephani Protomartyris Parochialem translatum, sanctae memoriae Antistes Franciscus Maria Milesi confirmaverit, quatuor pro una Paroecias Tibi pascendas committens; nil mirum denique, si venerabilis Patriarcha hodiernus Excellentiss. ac Reverendiss. D. Johannes Ladislaus Pyrker te tanti faciat, ut ad honorem maximum post Episcopum nominaverit, atque Augustissimus Imperator Franciscus, qui merita sapiens aestimat justoque donat praemio, ovantibus cunctis, Tibi insignis Metropolitanae Venetae Ecclesiae Honorarii Canonici dignitatem addiderit. Gaudet ideo universa Civitas, praecipue Clerus gaudet, et omnes qui admiratione praeclara Te diligentes, Tibi

fidem habentes, Teque omni honore dignum decantantes, gloriam implent summam et perfectam, quae Dei Sacerdoti tribuatur oportet, cum et doctrina, et pietate, et zelo, et virtutibus caeteris fulgeat. Gloria tua, Veneti Cleri glòria est: ac propterea gaudii nostri specimen, quod Tibi hodie exhibemus, quodque, duorum pene excusso saeculorum pulvere, e bibliothecis eruimus, nec Te indignum, nec universis in ministerio fratribus inutile credimus, utpote illud quod Venetae Ecclesiae merita pandit, ejusque veri nominis bono haud proficere nequit. Accipe igitur illud, Reverendissime Domine, dum veniam petimus, ea qua soles cunctos afficere benignitate; nosque Cleri Veneti ultimos, at certe Ovilis tui agnos primos, apud Deum precibus, apud homines auctoritate, apud gregem, cujus pabulo Tecum laboramus, exemplo, sustine, protege, et confirma. Vale.

Sacerdotes universi et inferiores Clerici
Ecclesiae S. Stephani Prot. servitio addicti.

MONITA LECTORI.

Visitationum omnium, ut docemur ex Trid. Conc. sess. 24. c. 3., praecipuus est scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: caetera prout locus, tempus, et occasio feret, ex Visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Jus hoc divinum, quod habet quisque major Praelatus in subditas Ecclesias sive Personas, multo magis super Catholicum orbem competit Apostolicae Romanae Sedi, cujus Pontifex summus jurisdictionis ac honoris primatum a Christo tenet, a quo immediate munus accepit fratres in Fide confirmandi, simulque orthodoxi gregis oves et agnos ubique pascendi. Saeculo sexto decimo, ut alias quoque, hujusmodi jura Romana Sedes exercuit, jam confirmata a Pp. Pio IV. Synodo Tridentina: et mox Venetiis solemniter promulgata ac penitus recepta, ut videre est apud historicos, Pontifex maximus Gregorius XIII. etiam Metropolitanam Venetiarum Ecclesiam anno 1581. visita-

tum misit clarissimos viros Cardinalem Legatum Laurentium Campeccium Bononiensem, atque Augustinum Valerium, origine Venetum, Veronae Episcopum, postea jure meritoque ad Cardinalis dignitatem evectum. Singulas per Urbem et Dioecesin Ecclesias ipsi visitavere, et ubique jure suo sanctissime utentes decreta singularia ediderunt, ac peculiaria hortamenta cujuslibet singuli Cleri statui accommodatissima promulgavere. Porro et universae Venetae Ecclesiae bono nil intentatum praetermiserunt: habemus enim uno volumine collecta quaecunque tunc temporis edicta, apud nos degentes, proposuere. Primum enim reperies sub titulo: *Decreta et Hortationes a Reverendissimis Visitatoribus Apostolicis factae*, ea quae pertinent ad Reverendissimos Patriarchas, qui pro tempore Venetiis praefuerint, inde ad Parochos, addito brevi decreto de Seminarii alumnis. Occurrunt postea *Regulae generales servandae in omnibus Venetiarum Ecclesiis*, quibus nil brevius, non secus ac Canonibus sanctis magis consentaneum potest effingi. Tertio *Termini generales eorum jussu assignati* praesto sunt, quos inter Clero erat obtemperandum Visitatorum praeceptis. Postremo *Decretum* quo declaratur quibus poenis negligentes multandi essent, et *Appendix* de norma instituendi juxta Ecclesiae statuta Parochiales libros, obviam fiunt inquirenti. Praeterea in sui erga nos etiam, sicut in patres, amoris documentum insigne *Libellum Hortatorium* universo

Clero, aliumque inferioris Ordinis Clericis divino zelo flagrantes inscripsere: ut et probos in ministerii sanctitate firmarent foverentque, et devios ad bonam frugem reducerent. Libelli istiusmodi, quos ex Decreto fel. rec. Patr. Laurentii Card. Priuli Syn. I. cap. 50. quicunque Beneficium Venetiis obtinentes vel sacro Ordine initiati habere debent et perlegere, jam typis cusi cum reliquis ad Visitationem, ut supra, spectantibus, anno 1592. apud Franciscum Patrianum, et inde 1668. Synodis praefati Praesulis, editis ex Typographia Pinelliana, inserti, modo a caeteris sejuncti primum prodeunt in lucem, paucis cujusdam Veneti Sacerdotis annotationibus nuperrime elucubrati. De illorum sancta venustate, deque uberrimo fructu, quem carpere ex ipsis, Deo opitulante, posset quisque; stultus aut impius tantummodo inficiarentur; quippe quia vel ignoraret vel irrideret Ecclesiastici Ordinis coeleste decus, necnon illud nimis verum Magni Leonis dictum: *Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere* (Hom. 4. Quad.). Patet itaque finis praecipuus, ob quem aurei libelli, de quibus sermo, editi sunt hac faustissima die, qua Venetus Clerus novo affectus honore tantopere gaudet. Et nobis qui vivimus, et posteris prosunt: tum quia Clero nostro maximum tribuunt praeconium, cum quia illos recte perpendens Dei Minister potest reapse implere Apostoli monitum: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per*

impositionem manuum, factus inde spiritus et ignis flamma in Templo Domini. Cynicus procax more suo ridebit; ipse sane ridendus: Sapiens et finem et opus dignis laudibus prosequetur.

LIBELLUS HORTATORIUS

AD CLERUM VENETUM

IN VISITATIONE APOSTOLICA

REVERENDISSIMORUM DOMINORUM

LAURENTII CAMPECII

LEGATI,

ET AUGUSTINI VALERII

VERONAE EPISCOPI CONSCRIPTUS.

Coelestis hierarchiae, cujus princeps, et gubernator est trinus et unus Deus, a quo omnia bona manant, imaginem refert ecclesiastica, in qua divino beneficio Sacerdotes Veneti collocati sumus: nam cum Angelorum et Archangelorum chori coelesti Patri et Regi nostro assistant, multisque ministeriis illi serviant, ejus majestatem venerari, et celebrare non desinunt; ita illi, qui in hierarchia ecclesiastica, in christiana republica in sancta ecclesia Dei, Dei vicem gerit in terris, romano Pontifici Christi vicario, totius Christiani populi parenti, Sacerdotes, aliique ordines Sacerdotio ministrantes, ministrant, obtemperant, summisque omnibus honoribus illum prosequuntur. Quale dicitis fratres est ministerium nostrum praecipuum pastorum principi Christo acceptissimum? plane angelicum est. Angelicum ministerium est purgare, illuminare et perficere animas: munus etiam Sacerdotum ejusmodi est. Id autem ut recte fiat, curat maxime dominici gregis

pastor summus Pontif. romanus: huc omnes ipsius cogitationes, omnes curae, omnia studia, assiduique labores spectant: ob id, ita dictante Spiritu Sancto, visitationes institutae sunt: ob id Greg. XIII. renovandae veteris ecclesiasticae disciplinae cupidissimus, et zelo Dei, studioque lucrandarum animarum mirifice incensus, visitandum nunc clerum Venetum jussit; ex qua visitatione maxima ejus pietate, et ab amore in vos, et in inclytam istam urbem profecta, utinam ii capiantur fructus, qui sperantur!

Nos qui a summo Pontifice clerum vestrum visitare sumus jussi, trium mensium spatio quo vobiscum fuimus non minimam certe animi laetitiam sensimus. Fuerunt sane multae et justae laetitiae causae (*a*): singulas enim parochiales ecclesias vestras episcopales fere ecclesias recte nuncupaverimus, cum sacris vasis et ecclesiasticis ornamentis maxime abundent; non minima etiam Sacerdotum, qui rerum usu praestant, et qui in pastorali cura sunt eruditi, copia, aliqui etiam vestrum doctrina praestantes, omnes obedientia erga sanctam Sedem apostolicam, et amore erga reverendiss. Patriarcham inter vos perpetuo certantes, in nos non obscura amoris inditia dedistis. Utemur scribentes ad vos, illis verbis, quae dum apud vos sermonem haberemus in sanctorum Angelorum templo (*b*) protulimus,

(*a*) Si quis Venetum Clerum stulte obtrectaverit, legens Panegyrin de ipso ab Apostolicis Visitatoribus publice exhibitam, obstupescat, et sileat. Vera fide, sincera pietate, praeclara doctrina Venetiis fulgebat Sacerdotium: idque saeculo sexto decimo. Quale autem istud fuerit, historia docet. *Vide Seriem etc. quae in calce hujus operis reperitur.*

(*b*) Probabile est fuisse Templum Deo O. M. dicatum in honorem D. Michaelis, sub cujus titulo omnes Angelos veneratur Ecclesia: quippe quia Apostolici Legati Ecclesias singulas visitavere. Licet vero asserere verba *Gaudete* etc. eos protulisse in sanctorum Angelorum Templo quod erat Muriani sub Episcopo Torcellano: nam fuit per totam Provinciam peracta Visitatio.

verbis nimirum beatiss. Apostoli Pauli, in epistola ad Philippenses: Gaudete Sacerdos Veneti, iterum dico, gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Gaudete, fratres, quod in tot Sacerdotum numero (*a*) inventus sit nemo, qui vel minima haereseos labe sit contaminatus, qui ne levem quidem ullam pravarum opinionum suspicionem praebuerit. Gaudete quod in maxima catholica urbe vivitis, quod formam pulcherrimae reipublicae intuemini, quod jucundissima pace ad gloriam Dei fruimini, quod in tanta copia religiosorum hominum doctrina varia, et sanctis moribus praestantium viventes, praecepta ad bene beateque vivendum potestis sumere, quod divitum et piorum hominum eleemosynis sponsas vestras ornatis (*b*), quod gregem nobilem pascitis, quod verae fidei, et sanctae Sedis apostolicae romanae defensoribus perpetuis sancta Sacramenta ministratis; quod in ea urbe estis, ubi virtuti est locus, ubi magno in honore viri boni habentur, ubi nemo bonus Sacerdos unquam eguit, variis etiam titulis non est honestatus. Gaudete quod in tempus apostolicae visitationis Dominus Deus vos reservaverit, quod Vicarius Christi paternam de vobis curam habuerit, vosque charitate summa ad munus vestrum obeundum hortatus fuerit, benedictione etiam sua vos, charissimi fratres, adjuverit. Grex Venetus Gregorii XIII. Grex est, commissus a principe pastorum Christo romano Pontifici. In partem sollicitudinis vocatus est Johannes Trivisanus, qui viginti ab hinc annos huic ur-

(*a*) En tibi panegyris Cleri nostri singulariter propria: utrum enim de alio quocumque peculiari Clero istud possit dici, alius judicet.

(*b*) Venetorum animus quoad religionem et cordis praestantiam affabre describitur: nec a patrum virtutibus recessere, aut recedent unquam, maxime favente Augustissimo Imperatore ac Rege Francisco I. quem Patrem amantissimum illis Deus ipse misericors est largitus.

bi praeest, plurima diligentiae, et amoris erga vos documenta praebens. Ad juvandam vos Veneti Patriarchae industriam, ad lucrandas animas Christo vocati estis servi, et amici Dei, vos Parochi, Plebani, vos Veneti Pastoris vestri coadjutores, romani Pontificis ministri, Christi nuntii, inter Deum et populum dati intercessores, estis plurimarum animarum, et nobilissimae gentis patres, magistri et medici spirituales: iterum, atque iterum nobilissimo hoc munere gaudete.

Verum gaudet nemo, qui conscientiae aculeis sit cruciatus, qui laetalibus sit coinquinatus peccatis, qui se ipsum minime cognoscens, sacerdotalem negligat dignitatem. Hyppocritae gaudium esse instar puncti scribit Job, quae verba ad mundum maxime accommodantur, qui est maxime omnium insignis hypocrita: nam specie boni semper decipit, cum polliceatur, quod non praestat; cum perdat eos, a quibus diligitur; virtutem gaudium sequitur, et peccatorum comes est tristitia. Scitis unde a vobis quaerendum est gaudium? ex sanctiss. Sacramentorum administratione, ex docenda doctrina christiana, ex visitandis aegris, eisdemque consolandis, ex vestra sponsa ornanda, ex calumniis pro amore Christi perferendis; hujusmodi sint vestra gaudia, vestrae coronae (*a*). Accommodemus vobis, fratres, illa verba: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus (*b*). Nonnulli enim vestrum hujusmodi monitione fortasse indigent, cum vestium varietate, et immoderatis sumptibus, variis etiam conviviis modum minime servent, in incessu etiam interdum, et in sermonibus in aliquibus modestia desiderata est, quae virtus amabilissima est, et Sacerdotibus gratiam et au-

(*a*) Sane verum ac optandum Sacerdoti gaudium, qui talia adimplens gaudebit confidens in coelis nomen suum scriptum fuisse, juxta evangelicam promissionem!

(*b*) Nil mirum de his et similibus quae postea in aureo hoc libello reperiuntur. Ubi homines, ibi error. Utinam non!

ctoritatem conciliat. Agemus vobiscum amice, paterne etiam injunctum nobis onus a Christi Vicario Episcopo Episcoporum Greg. XIII. Petri successore, apostolicis verbis utentes: Laudamus vos, quod in exornandis vestris ecclesiis, sponsis vestris, laudabili et sancta aemulatione certetis; laudamus vos, quod cum in novem congregationes clerus iste Venetus sit distinctus, novem quodammodo Angelorum choros referat (*a*), et gratias agatis Domino Deo precibus vestris, sacris Missarum sacrificiis fratres vestros juvetis; laudamus etiam id magis, quod fraterno vos invicem amore prosequamini, quod invicem vos invisatis, invicem vos consolemini, ad sanctissimom Poenitentiae et Eucharistiae Saramentum snmendum adhortemini, quod fratrum vestrorum funera pie prosequamini, quod pro illis vita functis sacrificia Deo offeratis: laudanda sunt haec, imitanda etiam aliis cleris.

At, charissimi fratres, in hoc laudare non possumus aliquos vestros, qui temporis jacturam faciunt, qui curiose res novas et supervacaneas scrutantur, qui nimia laicorum familiaritate utuntur, qui seipsos non cognoscunt, decorum minime se[illegible]nt. Scriptum est in Levitico: Sacerdotes sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domino, et panes Deo offerunt, ideo sancti erunt (*b*). Sanctum beatus Dionysius Areopagita interpretatur, qui quasi sine terrena affectione et sine macula vivat, cujusmodi debent esse ministri Dei, qui sacramenta praebent, ne illa verba quae per Ezechielem protulit Dominus. in illos conveniant: Polluistis, contaminastis et inhonorastis nomen

(*a*) Veneti Cleri miranda laus, qui septem ante saecula Angelorum aemulus in novem legiones distributus contra hostes Fidei et Imperii strenue pugnavit, pugnabitque.

(*b*) Caput hoc ex Scripturis et Patribus desumptum omni gladio ancipiti penetrabilius adamantinum cor frangere valet. Vae legenti qui illud nihili faceret!

sanctum in gentibus. Nihil est, quod contaminet magis nomen sanctum, quam Sacerdos vitiis contaminatus. Utemur principis Apostolorum verbis. Estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile ministerium suum. Vobis etiam revocamus in memoriam, quae Sacerdotum Princeps Christus dixit: Vos estis lux mundi, vos estis sal terrae, et illa quae de vobis, aut, ut rectius dicamus de nobis, sanctus scribit Bernardus in opusculo de Sacramento: Os vestrum patet ad nos, domini, ac reverendi Sacerdotes, semel Verbum caro factum est in utero Virginis, et vos secundario de die in diem nobis ministratis ex collatae officio potestatis. O praeclara et veneranda potestas! Certe non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Forsan scire vultis compertius, quae nam sit tanta potestas. cui nihil in coelo, nihil in terra potest comparari? Consecrare videlicet corpus et sanguinem Domini. Super hac potestate vestra, super tam insigni privilegio omnino stupet coelum et terra miratur, contremiscit homo, reveretur plurimum angelicà celsitudo. Exclamemus consacerdotes, si libet, cum eodem beatiss. Patre Bernardo Spiritus Sancti amabilissimo alumno, et sublatis in coelum oculis dicamus hunc in modum: O Jesu piissime, unde hoc nobis, ut nos vermiculi reptantes super terram, qui pulvis sumus et cinis, te praesentem habere mereamur prae manibus, prae oculis, qui totus et integer sedes ad dexteram Patris? Certe non ex debito, certe non ex merito nostro, sed ex voluntario dulcedinis tuae beneplacito. Parasti enim in dulcedine tua, pauperi Deus: pauper quidem fuit, sed est nunc praedives genus humanum, cui bonum istud caelitus est indultum. O Sacerdotes, o charissimi fratres! Bias nescio quis in numero septem sapientum fuit numeratus, beatusque est judicatus, quia in excidio patriae diceret,

se omnia sua secum portare; rerum externarum despicentia philosophus ille felix est habitus. Nos vere felices putandi sumus, si sapimus, si nos ipsi cognoscimus, qui in tot tantisque rerum humanarum difficultatibus non nostra solum portamus, sed thesaurum in quo reconditae sunt omnes divitiae Dei, coelestem cibum ipsi sumimus, et aliis exhibemus, medicinam salutarem nobiscum habemus, qua nobismetipsis, aliis salutem afferamus. Offerimus Sacrificium multo gratius, quam sacrificium Abrahae Isaae, quo Dominum placamus, quo ejus justissimam iram, in nos concitatam mitigâmus.

Haec pauca, quae de sacerdotali dignitate obiter dicta sunt, huc spectant fratres, ut vos amice et fraterne moneremus, ne (*a*) aliqui vestrum tantae dignitatis obliviscerentur, decorum retinerent sacerdotalem, laicorum vitarent crebra convivia, a ludis, a jocis, a publicis spectaculis, ubi interdum recitantur comoediae a Satanae ministris, ad subvertendas animas conlictae, abstinerent, diei horas recte collocarent, discerent quotidie aliquid, scirent se temporis reddituros rationem. Sacerdotum nugas pro certo habetote blasphemias judicari. Nostis vulgus infensum esse Clericis, vel minimis Sacerdotum peccatis offendi. Enimvero Clerum istum vestrum, in non paucis sermonibus, quod apud vos habuimus laudavimus semper, quoniam in multis vestris, multa laudanda comperimus, visique sumus hac in re nonnullis amori nostro in vos indulsisse: Sed vos laudasse non poenitet; ideo enim vos laudavimus, ut ad veram pietatem accenderemus magis, ut omnium bonorum largitori Deo ea ratione gratias

(*a*) In tot Sacerdotum numero pauci erant, qui sacerdotalem dignitatem temnere audebant. Hae igitur ac caeterae Visitatorum querelae nil officiunt Veneti Cleri praestantissimae laudi.

ageremus, ut dejectos quorundam animos illa ratione erigeremus, ut in vobis ministris Dei laudaremus Dominum; et illos, si qui sunt, qui vos, dignitatemque vestram sacerdotalem interdum audeant contemnere, aliqua ratione confunderemus. Rogavimus etiam saepe vos per viscera Domini nostri Jesu Christi, ut vobis attenderetis, et universo gregi, in quo posuit Dominus vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Interpretamur paucis beatissimi Apostolorum principis verba, quae nobis etiam esse scripta arbitramur, quandoquidem verba illa beatissimi Pauli Apostoli ad Timotheum et ad Titum etiam scripta, ut sancti censuerunt Ambrosius et Augustinus, conjunctim ad Episcopos et Parochos pertinent; nimirum oportere Episcopos, Parochos etiam ipsos esse sine crimine, sicut Dei dispensatores, non superbos, non iracundos, non vinolentos, non percussores, non turpis lucri cupidos, sed hospitales, benignos, sobrios, justos, sanctos, continentes. Eadem ratione conjunctim ad nos pertinent ea, quae paulo ante commemorata sunt verba, nimirum ut attendamus nobis. Ille attendit sibi, qui declinat a malo, et facit bonum. Attendemus nobis, si finem ad quem nati sumus saepe consideraverimus, si mortem meditantes cogitationes nostras in coelum fixerimus, si vanissimum sophistam mundum inutilia, imo potius perniciosa saepe nobis suadentem, contempserimus, si tamquam a facie colubri peccatum fugierimus. Qui peccamus, gloriam Deo, quantum in nobis est, adimimus, animam occidimus nostram, infernum nobis ipsis miserandum in modum fabricamus: Sacerdotes Dei, ministri Satanae ingrati admirandi hujus beneficii, et propriae nostrae calamitatis, veluti fabri efficimur.

Quis nostrum, inquitis, est sine peccato? Peccamus omnes, non negamus; peccamus saepe mortales miseri: figmentum nostrum novit Deus, misericors et mise-

rator Dominus poenitentibus remittit peccata. Danda nobis est opera, ut sanctissimo Poenitentiae sacramento nobis ipsi consulamus, et sacrificium corporis Domini nostri Jesu Christi quotidie offerentes, nos ipsi letalibus peccatis praeservemus. Nullum est malum nisi peccatum: omnibus ex rebus, quae nobis accidunt, elici potest bonum, cum volumus, nisi nobis ipsis desumus: peccata miseros solent homines efficere, omnium autem miserrimos Sacerdotes, qui magis peccatis ingratos se ostendunt in benignissimum coeli et terrae Dominum Deum, a quo sacerdotali fuerunt insigniti dignitate (*a*).

Vitanda superbia est omnibus, nobis maxime Sacerdotibus: est enim radix omnium malorum, indeque omnium miseriarum humanarum origo, cavendumque maxime, ne quae a Deo accepimus, nobis tribuamus, ne ii haberi velimus, qui non simus, ne nos ipsi omnibus anteferamus, ne magistrum magistrorum, Christum, qui humilitatem maxime docuit, dedecoremus. Vanitas, pompa, supervacaneusque vestimentorum ornatus in Sacerdotibus superbiae indicium est (*b*), priscis enim temporibus in sacris ordinibus constituti vestibus minime sumptuosis utebantur, et ut sanctus scribit Basilius, vestes, quae praeter necessitatem sumuntur, elationem testantur animi. Audiatis, Plebani Veneti, Christum; Qui mollibus induuntur, in domibus regum

(*a*) Exordium hic habet vitiorum enumeratio quae potissimum Clerico sunt fugienda: ea nil verius, nil clarius, nil efficacius potest effingi.

(*b*) Innumerae Canonum et Synodorum Constitutiones de vestibus Clericorum palam loquuntur. Contra illas respuentes ajebat D. Bernardus de Consid. lib. 8. cap. 11. „Forma vestium deformitatis mentium et morum indicium est; „quid sibi vult, quod Clerici, aliud esse, aliud videri volunt? Nempe habitu Milites, quaestu Clericos, actu neutrum exhibeat; nam neque pugnant ut Milites, nec ut Clerici evangelizant „.

sunt. Quod ad biretum attinet, audivisse vos credideriimus sanctissimi Domini nostri Gregorii XIII. rerum sacrarum moderatorem et principem a nobis fuisse consultum, num expediret vos bireto in formam crucis uti, an illo potius, quod ad haec usque tempora gestastis (*a*), quo laici viri nobiles utuntur. Sic vivae vocis oraculo respondit beatiss. Pontif. moderatricem, et magistram decoris ecclesiastici, et laudabilium consuetudinum esse sanctam Sedem apostolicam romanam; placere, ut illa bireti forma uterentur omnes, quam eadem sancta Sedes probat; nolle tamen cogi quenquam, nisi illos qui ad sacros ordines promoveri petierint, quibus posthac prohibendum esse jubet, ne alio bireto utantur, quam illo quo romana utitur Curia. Decorum servate, fratres, romano Pont. Christi Vicario obtemperate. Verum honestas, decorumque sacerdotale in vera humilitate, in mansuetudine, patientia, et charitate, rerum humanarum contemptu, in interna pulchritudine, non in ornatu exteriori, in temperantia et parsimonia victus, non in supervacaneis vestibus, in corporis castigatione, in sanctorum Patrum imitatione, in divinis officiis rite persolvendis, in observatione praeceptorum Dei, in exequendis sanctorum conciliorum, et summorum Pontificum decretis positum est.

Charissimi fratres, veremur, ne aliqui vestrum nimium sibi tribuant, parochiales ecclesias diligentius

(*a*) Rotundae prorsus formae biretum ferebant in capite Veneti Sacerdotes. In ejus vero mutatione, quae accidit illico post Visitationem (ut constat ex I. Synodo Patriarchae Laurentii Prioli cap. 28.) animadverte, o lector, et Sanctae Sedis Romanae sapientiam in statuenda lege, qua non tenebantur jure, nisi neo-ordinati, et subitam totius Cleri obedientiam, qui, licet non coactus, melius et sanctius duxit Pontificis desiderio parere, quam antiquum morem servare. Prompta isthaec Patrum nostrorum obedientia quoscunque redarguit Sacrorum Rituum *legibus* resistentes, sub illegitimae antiquitatis praetextu.

quam sit opus appetant, ambiant potius. Beatiss. Pont. Innoc. scripsit haec verba: Vis ambitiosum cognoscere? Ambitiosus semper est pavidus et attentus, ut quidquid hominibus displiceat dicat, humilitatem simulat, honestatem mentitur; affabilitatem omnibus exhibet, obsequiosus est, cunctos honorat, universis se inclinat, amplexatur, blanditur, applaudit (*a*); cum vero ad honorum praelationem promotus est, statim extollitur, omnibus praestantiorem, ac meliorem se judicat, inferiorem despicit. Vos ipsi examinetis, interrogetis etiam, si inferioribus viris etiam adulamini, si malum dicitis bonum, si eorum peccata dissimulatis, si cessatis annuntiare populis fidei vestrae commissis scelera eorum, ut eorum vobis concilietis benevolentiam, ut alicujus parochialis ecclesiae plebani nomineminі. Illa ipsa petitione, illo ipso ambitu indigni efficiuntur, qui plebani nominari cupiunt. Illi ipsi clamores populares, qui perversa quadam consuetudine percrebuerunt, vituperandi sunt maxime, summoque studio prohibendi, ne ambitionem vestram ea ratione prodatis (*b*). Bonitas, et vitae sanctimonia popularis est, grata est mirandum in modum, et parochianorum omnium animos allicit: praeterquam quod inconsiderati est hominis, fratres amantissimi, onus angelicis etiam humeris formidandum, sibi arrogare, et summo studio quaerere, qua ratione aliis praesit, hoc est, ut in tremendo illo universalis judicii die gravius sit subiturus periculum, cum non de seipso solum, sed de quamplurimis alio-

(*a*) Talibus miseris scatet mundus. Caveat ab illis sapiens, ne in eorum rete trahatur invitus.

(*b*) Objurgantur populi clamores, qui per vicos et plateas in Parochorum electione fiebant olim Venetiis; tametsi non populi, sed paucorum ex infima plebe, forsan lucrum sperantium, clamores essent appellandi: modo, Deo dante, pluribus ab hinc annis, cessaverunt omnino.

rum animabus suae fidei commissis, rationem sit redditurus.

Attendite vobis ne turpe lucrum, et execrabilis avaritia cor vestrum occupet: avaro homine nil scelestius, nil miserius: avarus autem Sacerdos, praesertim Parochus, maxime omnium contemptibilis est, maxime omnium odiosus est. Non abundamus, inquitis, egemus potius rebus necessariis, in hujus peccati suspicionem non deberemus incidere: utinam in talem suspicionem nemo vestrum incidat! Tenues sunt vestrarum parochialium ecclesiarum reditus, non negamus: at Veneta urbis opulentia, atque etiam liberalitas paupertatem vestram facile sublevat, vos ditat potius, si virtutem diligitis, si existimationem vestram retinetis, et vobis ipsi auctoritatem non adimitis. Nullibi Sacerdotes, praesertim Parochi, in quibus aliqua virtutis species appareat, majore in honore habentur, quam Venetiis. Quamobrem vos conditionis, et existimationis vestrae quasi artifices merito appellaverimus, cum ii habeamini, qui haberi vultis, ea in opinione sitis, quam moribus vestris vobis comparatis. Est mos in praestantissima republica, maxime laudabilis, ut bis, ter etiam interdum in anno locis piis, monasteriisque eleemosynae distribuantur, inopum calamitatibus paterna quodammodo charitate publico aere consulatur. Consulunt etiam pii homines, qui procuratores piis legatis exequendis substituuntur. Illarum vos facultatum ferme estis distributores. Reipublicae christianae liberalitas, piorumque hominum facultates in vestrum usum rediguntur, quia filiis vestris spiritualibus dantur, quia illa ratione pauperibus, qui in vestra Parochia degunt, succurritis, nec pauperes jure nominare potestis, cum in tanta hominum luce vivatis, cum neminem unquam Sacerdotem bonum eguisse observare possitis: quod si etiam non abundatis, et pauperes nominari cupitis, beati estis, quoniam vestrum est regnum coelorum.

Commoditates plurimas affert paupertas, industriae veluti mater est, sobrietas et continentiae soror, humilitatis alumna, fructuosaque possessio, a Rege regum Christo ditata. Divitiae periculosae sunt; veluti spinae sunt, quae si attrectantur, maxime pungunt. Non multi reperiuntur divites, qui moderationem retineant: qui vero divites cupiunt fieri, incidunt in tentationes varias, et in laqueum diaboli, ut sanctus monet Apostolus. Sacerdos es? existimationem tuam tuere: dives es, nihil tibi deest, nihilque tibi deerit unquam, si divitiis abundares, oeconomus Dei esses, divitiae enim illae non essent tuae. Vae tibi, si eas pauperibus non impertires: quo magis eges (*a*), eo facilius administrationis tuae rationem reddes in tremendo illo judicii die; consanguineorum et affinium tuorum vitae, et commodis consulet Dominus. Ad te pertinet lucrari animas Christo, Ecclesiam Dei, quam pretioso suo sanguine acquisivit, vigiliis et laboribus tuis propagare: hoc unum sit negotium: illa tibi, et Parochis, Sacerdotibusque omnibus dicta existimes: Negotiamini dum venio (*b*). Hujusmodi voces divinitus a Rege nostro Christo emissas, dulcissimi fratres, excipiatis: In catholica, atque inclyta urbe, quae me usque ab incunabulis sanctissime coluit, quae meum vexillum secuta, pro sponso meae militantis Ecclesiae, proque dignitate sanctae Sedis apostolicae romanae, in qua meus considet Vicarius romanus Pontifex maximus opes profudit, quae verae et antiquae nobilitatis viros progenuit, perpetuos, a-

(*a*) Perillustris evangelicae paupertatis professio Sacerdoti proponitur, qui licet nullo ejusdem voto obstrictus, sibi thesaurizet oportet thesauros in coelo, ut nudus nudum Christum, cujus Minister est, imitetur.

(*b*) Contremiscat otiosus Sacerdos infallibilem hanc sententiam perlegens: *Et Parochis et Sacerdotibus omnibus dicit Christus aeternus Pontifex: Negotiamini dum venio.*

cerrimosque haereticorum hostes, pacis, libertatis, et multarum virtutum, veraeque religionis cultores: Ministri mei Sacerdotes, negotiamini dum venio; ne timete verbum asperum, hortamini, reprehendite, arguite, increpate, sanctissima Sacramenta ministrate, Parochianos vestros peccatis purgetis: negotiamini dum venio, ut illo ipso die, qui non longe potest abesse, quo in gloria venturus sum judicare vivos et mortuos, laborum vestrorum mercedem recipiatis (*a*). Hujusmodi verba in animis vestris, tamquam ex ore Christi prolata imprimantur.

Saecularis negotiatio Sacerdotibus prohibita est, quia lucrum terrenum habet propositum, commixta sunt negotiationibus peccata plurima, ut mentiri, decipere, pejerare: quam rem animadvertens sanctus Apostolus dixit: Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus. Ut Clericis mercaturam exercentibus canonicis sanctionibus poenae inflictae sunt (*b*). multo magis essent illi reprehendendi, qui ex sepulturis, vel ex divinorum Officiorum communicatione, sordidum, et turpe aliquod lucrum captarent; a quo turpi lucro, vos maxime Veneti Sacerdotes, abhorrere cupimus: eleemosynis, quae ex sepulturis vobis longo usu, et veteri consuetudine dari consueverunt (*c*), estote contenti fratres; et pauperum, qui ex hac vita decesse-

(*a*) Utinam ineffabilis haec Christi Prosopopaeja in Sacrariis et in Sacerdotum cubiculis marmore aeterno esset insculpta!

(*b*) Negotiatio Clericis licita, imo praecepta, est solummodo piscium captura juxta illud: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, et alibi: *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

(*c*) Quoad Veneti Cleri usus in funerum eleemosynis vide Constit. *Licet debitum* S. Laurentii Justiniani in Synodo Castellana cap. 28. Rubr. de Sepulturis; et aliam Andreae Bondimerii Venet. Patr. quae incipit *Quia in exequiis* etc.

runt inopiam vestra charitate sublevate. Inde Clerici Regulares religiosi homines Theatini nuncupati vitae sanctimonia, et multis virtutibus praestantes, praecipuam multorum benevolentiam sibi conciliarunt, quod inopes et miserandos homines, sine ulla eleemosyna paupertatis cultores egregiae sepelire, et exequiis honestare consuevere (*a*).

Ponderandum adhuc judicaverimus illud verbum: Attendite vobis, ut ad sobrietatem diligendam vos maxime hortaremur, quae in cavendo peccato gulae maxime consistit, quae cautio in maritima et opulenta civitate, valde est necessaria. Qui curat vinum et pinguia, non erit sapiens, inquit Salomon: delicate nutritum, et vino exhilaratum, magis delectat fabulari, ludere, jocari, aut certe dormire, in otio tempus terere, quam orare, quam sacrificium offerre, quam docere, quam sanctissima Sacramenta ministrare. Sobrietas est mentis et corporis, omniumque membrorum custodia, et tutela pudicitiae, conservatrix castitatis, munimen pacis, et amicitiae internae socia, vitiorum expultrix, temeritatis inimica, valetudinis comes, et bonae existimationis ministra. Haec virtus Sacerdotibus necessaria maxime colenda est, in hoc diligentia vestra est collocanda, ut sobrii sitis, ut vigiletis, ne adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuiens quaerens quem devoret, vos opprimat.

Gulae soror, aut perpetua comes sive pedissequa est

(*a*) PP. Theatinorum exemplo Clerus excitatur ad pauperum celebrandas exequias: nondum enim Romani Ritualis sub Paulo Pp. V. generale praeceptum jussum fuerat, quod est hujusmodi: „ Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut „ ita parum superest, ut propriis impensis humari non pos- „ sint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis „ impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos „ defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si „ fuerit juxta loci consuetudinem „. Rit. De Exeq.

luxuria (*a*). De quo vitio scribens sanctus Ecclesiae doctor Hieronymus, Sacerdotes hunc in modum alloquitur: Quid tibi cum mulieribus, o Sacerdos, qui ad altare Deo famularis, et in loco stas ejus? Vae tibi, Sacerdos, qui eisdem labiis oscularis filium Virginis, quibus paulo ante osculatus es filium Veneris. O Juda, filium hominis osculo tradis? Quam rem pius quidam ecclesiasticus scriptor considerans, et detestans scripsit: Cum de universis hominum vitiis gaudeant daemones, maxime de eorum fornicatione gaudere, qui sunt ministri altaris. Sanctissimus Pater, ejusdemque Ecclesiae doctor Augustinus ita loquentem Christum facit cum Sacerdotibus, si qui sunt, qui teterrimo, hoc vitio sint contaminati: Noli me Sacerdos amplius peccando affligere, plus enim me laedit peccatum tuum, quam vulnus lateris mei: Quod cum diligentissime ponderasset doctissimus idem Pater Augustinus delinquere eos magis putavit, qui Christum in coelis regnantem contemnerent, corpus et sanguinem ejus impie et irreverenter tractantes, populum Dei perversis suis moribus offendentes, quam qui viventem in hoc exilio crucifixissent. Utinam hujusmodi verba ad neminem vestrum pertineant, charissimi et amantissimi fratres! Plus placet Deo ululatus canum et grunitus porcorum, quam cantus luxuriantium Clericorum; nec majus praejuditium Deus in mundo patitur, quam a Sacerdotibus indoctis et pravis moribus corruptis: nec aliquid tantum nocet Ecclesiae, quantum carnalis et foetida Sacerdotum vita, quorum vanissimis et turpissimis moribus claves Ecclesiae, ac Sacerdotium contemnuntur. Libet etiam huic loco inserere pulcherrima sancti Bernardi verba, quanquam (*b*) paucissimi vestrum

(*a*) In hoc sublimi capite spiritum considera, lector, fortitudinis ac lenitatis Pastoribus animarum omnimode dignum in evellendo luxuriae nefario crimine.

(*b*) Notet verba sapiens *paucissimi vestrum*, illaque con-

hac in parte hujusmodi, quod sciamus, monitione egeant, ut vobis ipsis attendatis, ut qui statis, videatis, ne cadatis; si qui vestrum occideritis, surgatis. Haec sunt beatissimi Bernardi verba: O Sacerdos, os tuum quod quotidie receptaculum, et quasi sepulchrum Christi efficitur? cur unquam mentitur? cur anima tua vitiosa efficitur? cur de ore tuo egrediuntur falsitas, detractio, sive scurrilitas, per quodipsa, quae Christus est, ingreditur veritas, atque sinceritas? Cur oculi tui adspiciunt vanitatem, qui quotidie ante se habent Christum altissimam veritatem? Quare manus tuae extenduntur ad illicita, quae tractant, tenent, atque elevant tenentem, gubernantemque omnia? Cur te ebrietate ingurgitas, qui Deo, et spirituali refectione plenus esse deberes? nonne turpissimum est manus Deo dicatas, mulierum uberibus, aut pudendis ingerere, et post hoc sacrosanctum corpus Domini tangere? O quam nefarium et temerarium est, pollutis manibus tractare filium Virginis, imo Dei Patris; et sordido ore sumere illum, qui omnem transcendit, ac superat intellectum! Quis non erubescat, quis non expavescat, ubi praestantissimum mundi pretium projiciatur in sterquilinium! Mirum est, quod talis Sacerdos non vereatur juxta se stare Angelum Dei, qui secet eum in medium!

Haec a nobis commemorata sunt, ut vobis attendatis, et omnes vel minimas peccandi occasiones vitetis consacerdotes amantissimi. Ex libello, quem scripsit sanctus Basilius, pauca verba illa explicans: Attende tibi, bene vivendi regulas, et christianae vitae documenta, quae acerrimo vir judicio, et egregia doctrina tradidit, excipere poteritis. Attendendum est maxime

ferat cum superius allatis circa Parochiis inservientium Sacerdotum numerum, adeo ut plusquam septuaginta Episcopales Ecclesiae in una urbe viderentur; proindeque de Veneti Cleri merito justum judicium proferat.

vobis, ne quemquam verbo laedatis, ne cuiquam detrahatis, ne in maledicentiae suspicionem incidatis: uno verbo dicamus, moderanda lingua est, custodienda maxime: ignis enim quidam est, universitas etiam iniquitatis nuncupata, quia ab illa plurima peccata proficiscuntur; et in Sacerdotibus linguae vitia maxime vituperanda sunt, quia legatione pro Christo fungatur, quia ad divina beneficia extollenda, et ad erudiendos populos a Principe rerum omnium Deo delecti sunt (*a*). Et aures custodiendae sunt, ne detractiones admittant; et oculi, ne videant vanitatem: maxime omnium custodiendum est cor, ne varias in partes distrahatur, ne terrenis desideriis opprimatur, et variis hujus saeculi sollicitudinibus tabescat. O charissimi fratres nostri, attendamus nobis, precibus nostris divinum auxilium imploremus, sanctis Sacrificiis mentem nostram illustremus, studium, et diligentiam in optimarum artium studiis collocemus, ut alios docere possimus.

In omnibus fere parochialibus ecclesiis, in nobilissima hac urbe plures sunt Sacerdotes, non minimus etiam Clericorum numerus, singulis in ecclesiis Sacerdotum chori reperiuntur, in quibus in organo laudes etiam canuntur Domino, et piorum hominum mentes ad coelestem illam pàtriam appetendam excitantur. Semper gaudete, gratias agite, et sine intermissioue oremus, quia auxilio Dei indigemus, quia precibus piorum Sacerdotum placatur Dominus, quia orantes providentiam Dei testificamur, quia oratio veluti telum est, quo Satanae resistitur. Debitis horis orate, fratres: ubi canonicas solvèritis horas (*b*), si bene agetis, ora-

(*a*) Opportune Nepotiano praecipiebat S. Hieronymus Ep. 12. lib. II.: „Parce a detractione linguae, et scito quia „ per cuncta quae de aliis loqueris, tua conscientia judica- „ ris. Sagitta in lapidem numquam figitur, interdum resi- „ liens percutit dirigentem „.

(*b*) Tunc temporis in quavis Parochia Canonicae Horae

bitis, quicunque enim bene agit, orat; meditationibus etiam delectamini, mirifice enim conferunt ad invocandum Spiritum Sanctum, et ad divinam opem impetrandam. Non praescribimus, quid vobis petendum sit, praescripsit regulam et formam optimus magister Dominus noster Jesus Christus, praescripsit sancta Mater Ecclesia vobis Sacerdotibus, quatenus sit orandum. Post recitatas canonicas horas attente et devote, vobis orandum est singulis diebus, ut sponsam suam sanctam Ecclesiam a Turcarum tyrannide (*a*), et a pravorum hominum haereticorum injuriis defendat; ut optimam Rempublicam tueatur Rex Regum omnium Christus, pace diu fruatur, pulcherrimae leges serventur, virtuti, ut semper fuit, sit locus, in piis operibus debitus honor bonorum omnium auctori Deo exhibeatur. Mittat Dominus operarios multos (*b*), concionatores egregios in vineam istam. Senatus consilia semper dirigat optimorum consiliorum auctor Dominus; justitia et pax, ut uno verbo dicam, Venetiis se osculentur. Reverendissimum Pastorem vestrum egregiis multis pastoralibus virtutibus praestantem, Johannes Trivisanum, virum, qui plurima vobis benignitatis indicia dedit, et dat quotidie, praestantissimae civitatis Patriarcham, communem salutem maximo studio curantem, juvet sancto Spiritu

persolvebantur quotidie in Choro, teste Gallicciolli lib. 2. c. 2. §. 18. Hic usus sensim elanguit, adeo ut Missa solemnis et Vesperae tantum festis diebus in Parochialibus modo sint canendae ex praecepto Synodorum.

(*a*) Quid fuerit illo aevo totius Europae, ac proinde Catholicae Religionis periculum ob Turcarum praepotentem furorem, neminem latet.

(*b*) Quo magis oratio haec inter vestibulum et Altare Sacerdotibus saeculi hujus est enixe facienda! Nam per Satanae insidias contra bonos mores, ubique adimpletur facto Evangelicum illud: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*; licet utraque sublimior Potestas totis viribus hostiles astus curet eludere.

suó, ut onus gravissimum sustineat, et Venetum gregem ad beata pascua perducat.

Jam vero de frequenti sacrosancti Sacrificii oblatione plurima a sanctis Doctoribus scripta sunt, quae commemorare longum, et fortasse supervacaneum esset. Verba Domini nostri Jesu Christi commemoremus magnam vim habentia: haec autem sunt; Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Et paulo post: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; quae verba pertinent ad omnes, sed maxime ad Sacerdotes, qui conscientiae stimulis retardati, Sacrificium Deo acceptissimum minime offerunt; aut torpore et otio, salutari seipsos privat medicamento. Panis quotidianus est, inquit egregius Ecclesiae Doctor S. Ambrosius, cur in annum sumis? sic singulos Christianos alloquitur. Aliquos ipsi alloquimur Sacerdotes: quotidianus panis est; cur a tanto tibi oblato munere abstines Sacerdos? cur tibi ipsi dees? cur non sumis, quod quotidie proficit (*a*)? Audite quod de admirabili Eucharistiae Sacramento venerabilis scriptum reliquerit Beda: Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, et seipsum medicina et remedio. Heu miseros Sacerdotes quosdam, quos taedet, pudet etiam quotidie celebrare, qui varios

(*a*) Irrideant Jansenii asseclae et Novatores universi sanam de quotidiana sacrosancti Sacrificii oblatione et frequenti Communione sententiam, quam Apostolici Visitatores praedicant. Stat contra impiorum latratus inutiles Apostolorum praxis, omnium Patrum auctoritas, et constans Catholicae Ecclesiae doctrina, quam discat Sacerdos, praecipue ex Sess. XXII. Conc. Trid. cap. 6.

praetextus fingunt, ne sanctissimum Missae Sacrificium singulis diebus offerant! Pudet assistere coram Deo? Sacrum Sacrificium offerre Domino? illa ratione placare justissimam iram Dei? divinum auxilium implorare pro vivis, atque defunctis.

Et adhuc magis deploranda res est, fratres, in Sacerdotum numero esse nonnullos, qui ex sacrosancta illa oblatione turpe lucrum quaerentes, Missam majori, quam possunt, pretio vendant, qui relictis, quas amare et ornare maxime deberent, Ecclesiis, alias adeunt Ecclesias, in quibus pro majore mercede celebrent. O cupidos, o ignobiles, o contemptibiles Sacerdotes, si qui sunt ejusmodi, quos nullos, aut paucissimos in Veneto Clero esse crediderimus! Lucrum appetis miser ex re pretiosissima et sacrosancta? Sanctissimum Sacramentum, quantum in te est, dedecoras, quicunque ille sis, sive Venetus, sive peregrinus et vagus Sacerdos, erras maxime, valde reprehendendus es. Sacerdotibus suis, succurrit Dominus (*a*), qui Sacerdotis munere rite funguntur, ultro illis eleemosynae dantur, in divite, et pia urbe minime potest deesse victus cuiquam, multo minus ministris Dei.

Adhuc pergimus, fratres charissimi, hortari vos, ut attendatis vobis, sancti Apostoli verba vobis accommodantes, quae ad Titum discipulum suum scripsit: Attende tibi, et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt. Oseae prophetae verba, Dei potius verba per Oseam prolata, satis nota omnibus commemoranda sunt, fratres, et diligenter consideranda. Quia scientiam repulisti, ego

(*a*) „Nihil illo ditius, concinne inquit D. Hier. Ep. 13. „ lib. II. ad Rust.; qui avaritiam ejecit e templo, qui absque „ funiculo et increpatione, cathedras vendentium columbas, „ idest dona S. Spiritus, mensasque subvertit mammonae... „ ut domus Dei, domus vocetur Orationis, et non latronum „ spelunca „.

repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, consideret unusquisque secum diligenter, num scientiam repellat, num occasiones discendi sibi divinitus oblatas praetermittat, num tempus recte dividat; fratres amantissimi, inexcusabiles eritis, quicunque non discitis, quicunque indulgetis otio, et quicunque repellitis scientiam (*a*). Magna est hac tempestate librorum copia, et eruditorum hominum, qui libros plurimos conscripserunt, qui artem nobilissimam pascendarum animarum tradunt, in quibus remedia contra peccata continentur, et christianae virtutes quasi ante oculos ponuntur. Capita illa quatuor de articulis fidei, de praeceptis divinae legis, de sanctis Sacramentis Ecclesiis, de Oratione Dominica disertissime in Catechismo Romano explicata sunt; ad Parochos Spiritu sancto dictante aureus ille liber conscriptus est, in Sacerdotum manibus debet semper esse (*b*); librum illum, sive summam quam Cajetanus Cardinalis, sive quam sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, sive illam, quam Sylvester, sive quam Bartholomaeus Fumus, Armillam dicunt, sive eam quam post alios omnes Hispanus Doctor Navarus edidit, aut modo hanc, modo illam, sive potius singulas inter se conferre debetis Sacerdotes Veneti, inter vos de rebus ad animarum salutem pertinentibus, et ad disciplinam ecclesiasticam saepe sermonem habere, invicem

(*a*) Quid dicendum de Clerici scientia saeculo decimo nono, quo cujusque furfuris impii errantes a fide ambulant in circuitu, qui posuerunt in coelum os suum, filiosque Ecclesiae callide pervertere student! Reminiscere, Sacerdos Christi, duplex illud Pauli praeceptum (Tit. 2.): „Amplectere „ eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut „ potens sis exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere „.

(*b*) Liber vere divinus ob orthodoxae doctrinae puritatem, styli venustate sane aureus, ad docendum necessarius prorsus Clericis omnibus. Teneat ergo, ut tenet, sedem primam in universis ecclesiasticorum Gymnasiis!

interrogare, simul discere, Clerum vestrum doctiorem efficere. In tanta Religiosorum omnium ordinum copia, cum in singulis Monasteriis non pauci docti reperiantur viri, turpe est, si ex eorum doctrina aliquos fructus non percipitis (*a*). Virtutum officina sanctus nominat Ambrosius Monasteria, in quibus omnibus reperietis semper aliquos, quorum sermonibus, et consuetudine meliores, et doctiores evadere possitis. Et Patres Jesuitae in praestantissima hac urbe aliquot jam annos degunt, plurimaque verae pietatis exempla dederunt, dantque quotidie, egregia doctrina viri perpetuo in christiano Orbe, in remotissimis etiam regionibus Dei gloriam maximo etiam cum vitae periculo procurantes, vestris studiis non deerunt, fratres, nisi vobis ipsis defueritis. Audieramus Collegium quoddam jam institui coeptum, in quo Sacerdotes aliqui vestrum bis in hebdomada convenitis, ibi de rebus ad salutem animarum spectantibus, de recte ministrando sanctissimo Poenitentiae sacramento, de sacerdotali munere, de ecclesiastica disciplina multa, eaque utilia in medium afferri solere. Prosunt incredibiliter hujusmodi collationes (*b*), hos conventus gymnasiola Spiritus sancti jure quispiam nominaverit. Quicunque in illum locum convenitis, recte facitis, Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi, et omnium ordinum Clerici, illa ratione vobis attenditis, vobis consulitis, existimationem Cleri vestri tueri, et augere studetis. Quae in indoctos Sacerdotes dici con-

(*a*) Ob nostrorum temporum vicissitudines, saecularis Clerus hactenus ferme solus militat in pluribus castris Ecclesiae. Faxit ergo Deus, ut virtutibus, scientia, et numero in dies crescat ubique!

(*b*) Lege Venetam Synodum primam Card. Patr. Laur. Prioli cap. 17., et videbis qualis fuerit a tanto Praesule praescripta methodus, ut singulis diebus in Regularium domibus, aut lectio casuum conscientiae, aut Scripturae sacrae interpretatio fieret, quibus interesse frequenter Clerici in Sacris et Curati tenebantur.

sueverunt verba, commemorare supervacaneum judicavimus, et molestum etiam, cum contemni, et irrideri soleant Sacerdotes propter imperitiam. Scribamus, aut omittamus potius scribere, quod a nobilibus viris saepe audivimus? Notare quosdam in humanioribus literis versatos nobiles etiam viros barbarismos saepe Sacerdotum, digito illos ostendere, quos literarum rudes deprehendunt; libere dicamus: imperitus Sacerdos fit nobilium Venetorum fabula: si aleae ludo, si luxu, si nimia vini potatione, si verbis obscoenis, si suspecta mulierum cohabitatione in aliquam infamiae suspicionem inciderit, non solum fit fabula, sed etiam est multis ludibrio.

Quare, o Sacerdotes et fratres, studio vestro et diligentia vestra attendite vobis, consulite vobis, honori vestro, existimationi vestrae, sacerdotalem dignitatem tuemini. Meminimus, cum sermonem ad vos haberemus, trium magistrorum a nobis factam mentionem, timoris, amoris, et honoris. Timore poenae a peccatis abstinere est omnino utile, est etiam optandum: modo peccata fugiantur, quacunque ratione id fiat, bonum est, laudabile est; sed varius et inconstans magister est timor, ignobilium etiam hominum, minime etiam bonorum non peccare formidine poenae; tanta est etiam humani ingenii perversitas, atque malitia, ut gravissima scelera quisque audeat celare, latere unusquisque speret Deum, cui nuda et aperta sunt omnia, mortales minime extimescentes, si flagitia sua in notitiam hominum non veniant, nihil curant, se peccasse minime arbitrantur. Verum testis est Deus, et judex scelerum, quae a mortalibus committuntur, dissimulat peccata, ut peccatores ad poenitentiam invitet, occulta esse permittit, ne confundantur, ne in desperationem incidant, ut facilius in viam redeant, aut etiam interdum, ut gravius puniantur, nisi resipiscant. Nolite Sacerdotes benignissimum Patrem vestrum Reverendissimum hujus

urbis Patriarcham ad iracundiam provocare (*a*), ne committatis quidam vestrum moribus vestris, ut mutare ingenium optimus vir, et clementissimus Pastor cogatur. Amor in Deum, in nobilissimam istam Ecclesiam, cui servitis, amor erga Pastorem vestrum vos suadeat, impellat vos ad munus vestrum obeundum, ad constitutiones Venetas quibus summatim vestri Cleri disciplina continetur, servandas, et quas edendas jussimus additis paucis quibusdam nostris, qua in vestra observatione fructum nostrae visitationis collocamus, ad quam etiam plurimis nostris sermonibus vos hortari non destitimus, hortamur nunc maxime hoc libello, quem indicem nostri erga vos amoris perpetuo esse volumus. Amor, egregius magister et orator excellens, ad virtutem amandam, ad cultum principi, et bonarum rerum omnium auctori exhibendum, ad animas Christo lucrandas, ad Pastorem vestrum obedientia vestra, diligentia vestra, modestia vestra, doctrina vestra consolandum excitabit, et studium etiam honoris vestri tuendi vos ad virtutes plurimas, ad decorum servandum, ad nugas vitandas, ad otium fugiendum, ad tempus minime conterendum, et ad omnes scandali occasiones declinandas inflammabit.

Nullibi, fratres, utilius est Sacerdoti, cuipiam bene audire, quam in Veneta urbe, in qua multorum bonorum virorum judicio Parochi nominantur (*b*), ubi boni-

(*a*) Quomodo ad iracundiam provocare Episcopum audeat Sacerdos, qui coram Deo promisit illi obedientiam et reverentiam, quique sciat praecipue illud D. Ignatii Ep. M.: *Reveremini autem Episcopum vestrum, sicut Christum!* Ep. ad Trall.

(*b*) Ob privilegium Venetis concessum ex Apostolicis Bullis Leonis X. sub die 4. Feb. 1517., et Clementis VII. sub die 30. Maji 1532. Parochi eligebantur per concursum, suffragiis omnium, qui praedium quodcunque legitime possiderent intra fines vacantis Paroeciae. Sub hujus saeculi initium obsolevit usus ejusmodi.

tatis major habetur ratio, ubi doctrina, ubi virtutes magno in honore habentur. In hoc maxime quisque attendit sibi, si bonorum virorum familiaritate utitur: qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea; fitque saepe, ut illi ipsi, quorum familiaritate in rebus minime seriis, et laudandis Sacerdotes utuntur, eosdem Sacerdotes irrideant et contemnant, eorum verba minus gravia, eorum mores nimis liberos notent, et prodant etiam. Quicunque vero obsequiis, blanditiis, adulationibus etiam plurimis Sacerdotia plura, quas mansionarias vocant, aucupantur, errant gravissime, justissimam Dei iram in se provocant, cum pluribus Missis celebrandis se ipsi obligent, quam possint singulis diebus praestare (*a*), sicque, et defunctos cupito subsidio defraudant, et viventes etiam falso amicitiae nomine decipiunt. Qui onus celebrandi plures Missas tantopere petiverunt, et mansionarias plures obtinent, diligenter considerent, quae scribimus, timeant judicem Deum, avaritiae, et execrandae cupiditatis vindicem justum.

Hujus nostri libelli, quem sincerus noster erga vos dictat amor reliqua pars est, ut obsecremus vos per viscera Domini nostri Jesu Christi, et pro paterna nostra in vos charitate, ut attendatis universo gregi vestro, cognoscatis oves vestras, illas vocatis nominatim, illas custodiatis, illas pascatis; pascatis verbo et exemplo. Quis custodiat oves, quas non cognovit? quas negligit, minime cognoscit. Ad cognoscendum vultum pecoris vestri excitabimini, si a summo Pastore Christo vobis gregem commissum consideraveritis, nec variis Parochianorum mutationibus terreamini, quo minus animas vobis commissas dignoscatis: si Deum timetis,

(*a*) Contra turpissimum hunc errorem stant Decreta S. Cong. Conc. 21. Jun. 1625. auctoritate Urbani Pp. VIII. edita, et ab Innoc. XII. confirmata per Bullam *Nuper*. Insuper vide Bened. XIV. Instit. Eccl. sub n. 56.

si eidem gregi vestro vobis attendendum proposuistis; non erit difficile oves vestras cognoscere nominatim, in librum quendam redigere, illumque evolvere saepe (*a*). O miserrimi omnium mortalium, qui nec norunt semetipsos, nec gregem suum, veluti mercenarii, qui nihil aliud spectant, quam commoda propria. In quo dicitis posita est custodia nostra? quomodo custodiemus gregem? si pravos homines scelestae novitatis auctores haereticos a vestris Parochiis omnino amoveritis: si eos, qui in hujusmodi suspicionem incidunt sacrosancto Inquisitionis Officio denuntiaveritis, si concubinarios et adulteros, si blasphemos libere reprehenderitis, magistratus etiam auctoritate corrigendos curaveritis. Discordias a privatis domibus tollere, pacem inter virum et uxorem conciliare, perversos filios ad parentum obedientiam excitare, parentes ad recte instituendos domesticis exemplis filios hortari, ad Parochum pertinet, et in iis custodia gregis est collocata. Verum magna diligentia custodiendi sunt Clerici vestri gregis nobilis portio: custodiatis illos, amantissimi fratres, observetis quorum consuetudine utantur, et quid singulis diebus discant a magistris (*b*), quos ad vos hortari pertinet, ne illis ulla in re desint. Hi sunt filii vestrae Ecclesiae, sponsae vestrae; hi sunt, qui Sacerdotes aliquando sunt futuri eo praestantiores, quo in illis educandis majorem posueritis diligentiam. Praecipuum Pastoris officium est, pascere exemplo, vitae innocentia, mansuetudine,

(*a*) Idem Rituale Romanum in fine praecipit Parochis omnibus, ut librum habeant quoque de *Statu Animarum*. Quomodo enim gregem pascerent, nisi agnoscerent? Implendum est illis ex munere, quod de se bonus Pastor Christus dicit: *Ego cognosco oves meas*. Joh. X. 14. Utinam de singulis ovibus dicere possent: *cognoscunt me meae*!

(*b*) Quanti referat Clericorum inferioris ordinis educatio, et quomodo instituenda, abunde docet Conc. Trid. Sess. 23. de Ref. cap. 18.

temperantia, patientia, rerum terrenarum contemptu, egregias omnes virtutes docere: etiam pascendae sunt oves, instituendi populi sunt fidei vestrae commissi, ne in vos conveniant illa verba: Vae vobis, qui pascitis vosmetipsos, et non gregem vestrum; et illa: Vae mihi, quia tacui; et illa: Vae mihi, si non evangelizavero.

Tacemus, inquitis, quia longo usu receptum est, ut docentibus pluribus concionatoribus nos sileamus; silemus quia concio nos desereret, quia auditores non haberemus: Religiosis in omnium literarum generis versatis locus est relictus, semel in anno, aut bis in sanctis solemnitatis Natalis Domini, aut Resurrectionis sermonem ad populum habere consuevimus. In hoc reprehendendi estis, vituperandus est mos hujusmodi, silentium vestrum perniciosum est, canes muti estis, non valentes latrare. Unicuique vestrum dictum est: Plebane Venete, clama, ne cesses, et quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo scelera eorum: multos paedagogos, multosque concionatores habet urbs Veneta, sed non multos habet patres (*a*). Reverendissimus Patriarcha communis est omnium pater, vos singularum parochiarum patres estis: paterni sermones magnam vim habent, lacte matris filii vescuntur facilius et melius, quam nutricum, et sic robustiores sunt. Non audemus, dicunt aliqui vestrum, concionari, cum progressus multos in literis non fecerimus: in paternis Parochorum sermonibus plus valet charitas, quam facundia, spiritus auctoritas, quam doctrina, facit Dominus Deus linguas infantium disertas; gloriam et poenam, virtutes et vitia cum brevitate sermonis jubebat sanctus Franciscus populo proponi.

Eandem sequimini regulam, Plebani Veneti, Spiritus

(*a*) Quisnam animarum Pastor mutus erit ulterius haec perlegens! In ore ejus divino jure Verbum Dei non est alligatum.

Sanctus vestro in munere vos non deseret, verba vobis suggeret accommodata, persuadendi vobis vim largietur, vobis per eum Spiritum Sanctum est dictum: Dilata os tuum, et implebo illud: aperiet Dominus ostium oris vestri, ut annuntietis Evangelium Dei (*a*). Capita illa quatuor, quae in Catechismo Romano complexa sunt, ad Evangelium, sive ad Epistolam potestis redigere, de credendis, de vitandis, de timendis, de sperandis, deque agendis breves sermones habebitis, articulos fidei interdum explicabitis: quanta fides sanctae Matri Ecclesiae, quae Spiritu sancto edocta nunquam errat, quanta sacris Conciliis et ejusdem sanctae Ecclesiae Doctoribus sit adhibenda demonstrabitis. Turpitudinem peccatorum, calamitates et infamiam, quae peccata consequuntur, ante oculos ponetis, de horribili illo judicii die, de cruciatibus itidem inferni mentio est facienda, de Purgatorii poenis, quae ejusdem sunt generis, nisi quod perpetuae non sunt. De coelestis patriae felicitate et deliciis loquendum est etiam saepe, ad consolandos afflictos, et ad amorem in Deum excitandum, qui filiis suis praeceptis suis obtemperantibus tantam paravit haereditatem: de sanctis Dei praeceptis servandis, de virtutibus diligendis habendus saepe sermo est; in primis, de charitate quae est omnium virtutum veluti anima; qua qui est praeditus, filius Dei est, dives est, omnia possidet; qua qui est destitutus, filius Satanae est, miser est, omnibus indiget. Ex catena Divi Thomae in sacrosanctum Evangelium, ex sanctis Doctoribus Ecclesiae, et ex Homiliis, quas iidem sacri Doctores scriptas reliquerunt, sanctus in primis Chrysostomus, ex illis praecipue, quas ad Antio-

(*a*) Vide in toto hoc capite Pastoralis eloquentiae regulas omnibus erudiendis aptissimas brevi collectas. Sic concionantem non plausus inutiles, sed lacrymae et conversio auditorum exciperent.

chenum populum habuit, plurimas sententias colligere poteritis, quibus ad christianas virtutes Parochianos vestros excitetis, eosdemque a vitiis terreatis. Concordiam evangelicam, quam Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis edidit, si prae manibus habueritis, satis uberem dicendi materiam auctor ille egregius vobis suppeditabit. Et plures alii hac tempestate sermones pios admodum et eruditos conscripserunt, quos enumerare longum esset: quare illos studiose inquirite, ut ad usum filiorum vestrorum spiritualium accommodetis. In pulcherrima civitate hujusmodi loci tractandi sunt saepe: Domini esse terram et plenitudinem ejus, orbem terrarum et omnes qui habitant in eo. Divites esse oeconomos Dei, opes illorum fidei commissas esse, ut eleemosynis ad coelestem patriam sibi aditum faciant: eleemosyna enim peccatum extinguitur. Ad pauperes convertendus est sermo, ne invideant, ne maledicant, ne detrahant divitibus: potuisse Dominum, si expedire judicasset omnes divites facere; voluisse aliquos esse pauperes, ut humilitate et patientia aeternam beatitudinem consequerentur; tutiorem esse pauperum, quam divitum statum, facilius in extremo judicii die rationem reddituros: veram nobilitatem in virtute consistere, nobiles putandos illos, qui pietate in Deum, et christianis caeteris virtutibus praestant, vitanda crebra juramenta: adulationem esse dulce venenum, nemini propinandum esse, bonitati in Veneta Republica semper locum fuisse, vitandum luxum, fugiendam omnium malorum escam voluptatem, alearum ludum esse perniciosum, blasphemiae comitem, avaritiae fratrem, quietis hostem, familiarum perturbatorem, malorum plurimorum, atque etiam infamiae ministrum. Filios parentes minime honorantes, eorum calamitatibus minime succurrentes acriter reprehendetis, infames illos nominabitis, divinam ultionem non evasuros minabimini, ingratos illos appellantes, acribus verbis illos re-

prehendite: indulgentiam parentum de filiorum suorum salute nunquam cogitantium pluribus verbis accusate, ante tribunal Christi illos vocate; filios pariter se excusantes, et parentum indulgentiam et negligentiam objicientes facite: illa enim forma dicendi parentum quorundam animi commoveri plurimum consueverunt. Et conjuges ad mutuum amorem excitabitis, apostolicis verbis utentes, parendum foeminis viris suis veluti Domino, viris diligendas esse uxores, illisque compatiendum tamquam infirmiori vasculo.

Ad pia opera filios vestros, auditores vestros hortari singulis diebus festis non desinetis: societates sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi et alias confraternitates (*a*) mirum in modum laudabitis, ad concordiam retinendam, ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum frequentandum impellere confratres non cessabitis, praesertim ad doctrinam christianam docendam. O fratres nostri amantissimi, vehementer timemus, ne aliqui vestrum plane ignorent, quam gratus, quam acceptus sit Deo ille labor, qui in erudiendis pueris in doctrina christiana sumitur (*b*). Nulla est miseria, quae cum illa sit comparanda, quae posita est in ignoratione sapientiae, potentiae et bonitatis Dei. Considerate illa verba: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum vivum et verum, et quem misisti Jesum Christum. Hinc colligit miseriam esse non cognoscere Deum vivum et illum quem misit Jesum Christum: quae igno-

(*a*) Nulli profecto civitati, etiam ob laicorum sacras Congregationes, Venetiarum urbs erat secunda. Cujuslibet artis et conditionis homines sub Religionis vexillo fraternitatem exercentes vitam agebant, innumerisque post mortem gaudebant suffragiis. De illarum origine, objecto, ac numero consule Gallicciolli in Indice Art.° *Scuole di divozione*.

(*b*) Ex Catholicae Doctrinae publica Catechesi pendere quodcunque bonum universo societatis corpori et singulis membris, impius ipse fatetur.

rantia multas parit calamitates, multa alit flagitia, multorum peccatorum origo censenda est. Ne decipiatis vosmetipsos Parochi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi cujuscunque parochialis ecclesiae: pueri illi qui in parochiis vestris vivunt, vestri filii sunt, commissi a principe Pastorum vobis sunt, a vobis in doctrina christiana sunt erudiendi: si vestra incuria principem et auctorem rerum omnium ignoraverint, pernitiosae illius ignorantiae vos rei eritis, dabitis vos poenas negligentiae vestrae. Probavimus nos maxime piorum quorundam hominum pium conventum, quem Oratorium nominant (*a*): ex illo operarios ad egregium illud munus christianae doctrinae tradendae optimos magistros prodire intelleximus: bonos illos viros, et vestros coadjutores diligite, praeclarum institutum laudate, sanctum illum locum adite saepe, praesertim vos, qui in animarum cura minime occupati estis. Clerici vestri sanctae illi occupationi horas aliquas dent, libellum doctrinae christiaaae commendent memoriae (*b*), illum ut alios

(*a*) Oratorium istud tempore Apostolicae Visitationis erat Ecclesia S. Johannis Evangelistae, ubi paulo post annum 1307 piissimi laici Confratres pueros docere caeperunt Christianae Doctrinae rudimenta, teste Flaminio Cornelio Dec. X. pag. 337. Haud vero dicendum Parochos tanto muneri defuisse tempore anteacto; sed in hocce Oratorio opus tam egregium aliqua methodo exordium habuit, et quidem maximum incrementum obtinuit, ut Visitatores testantur. Imposterum post Bullam Pauli Pp. V. *Ex credito* 4. Octob. 1607. ad normam Bullae alterius Pontificis Clementis VIII. *Quaecumque*, erecta fuit generalis sanctae Christianae Doctrinae Confraternitas, cujus centrum fuit in quodam sacello Sanctissimae Trinitati dicato. Inibi plurimi laici festis diebus conveniunt adhuc, ut divino cultui vacent; et ex eorum numero Visitatores ac Praesides Scholarum omnium ab excellentissimo Patriarcha eligebantur. Tanti erat apud Venetos, ut *Schola major* et *Oratorium* antonomastice appellaretur.

(*b*) Libellus hic, quo Venetus Clerus a pluribus saeculis Christianae Doctrinae rudimenta pueros edocet, jure omnis Theologiae breve compendium potest appellari. In eo potis-

doceant, vos ut in praecipua vestri muneris parte adjuvent. Hujusmodi voces a quibusdam perenni, hoste animarum nostrarum Satanae suggerente, proferuntur: Quid ad me, si pueri doctrinam christianam nesciant? novum institutum docere pueros christianam doctrinam, laborem hunc suscipiant alii, qui Oratoriis delectantur, ipsi doceant: clamores ipse puerorum ferre non possum, mihi satis est in Missa offerre sanctissimum sacrificium Deo, canonicas horas persolvere, sacramenta ministrare, aegros interdum invisere. Quicunque sic loqueris, charissime frater, deciperis, et te ipse fallis, justam Dei iram provocas, non obtemperas praecepto Domini, qui mandavit unicuique de proximo suo, qui commisit tuae fidei pueros illos, qui te patrem illis constituit, ut eos ad coelestia pascua perducas. Cavete ne in re tanti momenti vos ipsi decipiatis, charissimi fratres, ne vestra negligentia animas vestras perdatis. Hortaremus nos etiam vos, et per viscera Domini nostri Jesu Christi rogaremus, ut nobiles viros, nobiles etiam foeminas moneretis saepe, qui in vestris parochiis degunt, ut filios et filias suas vere diligerent, in viis Domini instruerent, christianam doctrinam docerent, aut saltem ad Ecclesiam perducerent (*a*), caverent, per illum ipsum, quem omnes colimus Deum, filiorum, et bonorum omnium largitorem, ne ipsorum ne-

simum verborum sublimis veritas lucet, non secus ac laudanda simplicitas omnium captui accommodata: proindeque Visitatorum Sanctae Sedis laudem et omnium Patriarcharum adprobationem merito obtinuit.

(*a*) Quid turpius Christiano nomine fingi potest, quam dedecus illud, in quod plurimi nobiles opinantur incurrere, si, ut discipulos filios, vel semet magistros in publicis Catholicae Doctrinae Scholis inter caeteros fideles effecerint? Nonne *unus panis est?* Nonne *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus?* I. Cor. 10. Nobilium vita, populi liber est.

gligentia, et miseranda quadam indulgentia erga filios, filiasque suas deteriores efficerent.

Si qui vero vestrum ad audiendas monialium confessiones a Reverendissimo Patriarcha vocati estis, rem tantam, et tam magni momenti nolite negligenter agere, nobili illi gregi, sponsis Christi, quanta maxima potestis diligentia consulite: date operam, ut a vanis sermonibus, quibus mirandum in modum eorum mentes distrahuntur, abstineant, libenter et frequenter chorum adeant, in quo assistit eorum sponsus Rex Regum Christus, et legiones plurimae angelorum. Humilitatem, sobrietatem, obedientiam, silentium, charitatem in primis, qua virtute ornata monasteria imaginem quandam Paradisi repraesentant, diligant. Modestiae, diligentiae, paternae hujusmodi auctoritatis et zeli honoris Dei vobis qui in eodem munere versamini documenta invicem date: cum Reverendissimo Pastore vestro saepe communicantes ea, quae ad progressus in viis Domini faciendos, et ad rectam monialium disciplinam retinendam spectant, quas minime nos visitávimus: plurima tamen earum monasteria sanctitate, et monasticis virtutibus esse insignia, multorum bonorum virorum testimonio, accepimus.

Attendunt gregi, qui rebus prosperis insanientes monent, ut meminerint se brevi morituros, qui rerum instabilitatem et inconstantiam saepe proponunt, qui rebus adversis afflictos consolantur, qui praemia vitae aeternae res adversas aequo animo ferentibus, et crucem suam alacriter portantibus pollicentur, qui aegros invisunt saepe, et documentis paternis recreare conantur. Magnum est, et valde ponderandum verbum illud: posuisse Spiritum Sanctum pastores animarum Episcopos, ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo; hoc est speculatores, magistros, medicos, patres, duces populorum. Et cujus gentis, duces, patres, medicos, magistros vos constituit Rex terrae et

coeli Dominus? Venetae, urbis quae scelestam semper odit haereticorum novitatem, quae magnificentiam in cultu exhibendo Deo trino et uno, atque obedientia erga sanctam Sedem apostolicam romanam nulli unquam genti cessit, nec cessura est (*a*). E coelo beatissimum illum Patrem, istius Cleri et nobilissimae urbis Laurentium Justinianum primum Patriarcham hujusmodi voces emisisse hoc visitationis tempore, et ad aures Beatissimi Patris nostri Gregorii XIII. romani Pontificis, Christi Vicarii, penetrasse, Sancto Spiritu juvante, credibile est. Gregem meum gregem tuum, supreme Pastor, qui Christi vicem geris in terris, invisendum jube: jube tuo nomine ut in disciplina christiana progressus faciat; sit Venetus Clerus aliis Cleris exemplo ad omnes virtutes (*b*), alat veram pietatem, rerum humanarum despicientiam, mortis contemptum, iter ad coelestem patriam monstret, labores et vigiliae quondam meae et optimorum Patriarcharum, qui post me ea in urbe fuerunt, minime pereant. Sanctum virum, qui constitutionibus optimis, pulcherrimis libris, et eximia vitae sanctitate ecclesiam ipse vestram ornavit, pro certo habetote, fratres, eandem ecclesiam sponsam suam assiduis juvare precibus, apud clementissimum coeli et terrae Dominum Deum intercedere pro vobis, ut adjuvet infirmitatem vestram Dominus, ut legatione pro Christo fungientes, animas plurimas Chri-

(*a*) Quatuordecim saecula Venetiarum civitas a sua origine enumerat: haereseos pestis aut schismatis pertinacia nunquam illam polluere valuit. Maximum Cleri meritum! Ergo et in posterum Catholicam hanc Ecclesiae filiam a primis usque incunabulis, Doctrinae et Regiminis orthodoxae unitati perpetuo adhaesuram, quisque confidat, sub auspiciis Francisci I. Sanctae Romanae Fidei validissimi defensoris.

(*b*) Et sane fuit semper Venetus Clerus aliis Cleris exemplo et potenti auxilio. Testantur limitrophae et longinquae Dioeceses, quot semper e Clericis Venetis Praeceptores, Theologi, Parochi, Episcopi, optimique operarii illas honore maximo affecerint, et afficiunt adhuc.

sto lucremini, bonos vos Sacerdotes esse ostendatis, veros Christi ministros, et in hac militanti Ecclesia sanctae et catholicae fidei egregios defensores, et optimorum morum magistros. In coelis degere, beatissimoque sanctissimae Trinitatis aspectu frui crediderimus, multos alios Venetae urbis Episcopos et Patriarchas, inter quos, illos quos novimus excellenti pietate et multis virtutibus praestantes Petrum Franciscum Contarenum (*a*) et Vincentium Diedum. Hi vobis, consacerdotes amantissimi, gregem commendant suum, maxime omnium pastorum princeps Christus dilectum sibi gregem vestrae fidei commissum hoc tempore vobis iterum, atque iterum commendat, quem proprio sanguine redemit, quem a labe haeresum multis ab hinc annis, gravissimoque belli et pestilentiae tempore conservavit, quem e multis periculis eripuit, nunc custodiendum et pascendum a vobis exigit, justitiae vestrae, laborumque vestrorum mercedem maximam relaturis. Contendunt maxime sanctissimi, qui in coelis habitantes Pastores et Patriarchae, ut visitatio quam paterna quadam charitate, Beatissimo Gregorio XIII. obtemperantes, jam fecimus, fructus multos pietatis omniumque virtutum afferat, quod et nos qui vos ex animo diligimus vehementer optamus: precamurque eundem visitationum, et bonorum omnium auctorem Deum, ut nos minime frustra laborasse (*b*) aliquando cognoscamus.

(*a*) Debitus honor tribuitur hic aeternae memoriae Patriarchis Metropolitanae Ecclesiae Venetiarum; nempe Petro Francisco Contarini oratori et philosopho doctissimo, qui rexit hanc Ecclesiam anno 1554. per aliquot menses tantum; atque Vincentio Diedo viro sapientissimo et integerrimo ad Patriarchale Solium evecto anno 1556., et vita functo anno 1559.

(*b*) Nec frustra laboravere. Consule Acta Synodi I. et II. sub Patriarcha Laurentio Prioli; consule nimis rigidum Galliciolli, qui lib. II. n. 1189. aperte asserit Apostolicam hanc Visitationem uberrimo fructui toti Clero fuisse; consule denique facta posteriora, quae usque in hodiernum diem ad Veneti Cleri laudem tibi praebet Historia.

AD CLERICOS UTRIUSQUE SEMINARII,

NECNON PAROCHIALIUM ECCLESIARUM URBIS VENETAE

IN VISITATIONE APOSTOLICA

REVERENDISSIMORUM DOMINORUM

LAURENTII CAMPECII

LEGATI,

ET AUGUSTINI VALERII

VERONAE EPISCOPI

LIBELLUS CONSCRIPTUS.

O filii, o Clerici Veneti, sacrosancti Tridentini concilii soboles, Johannes Trivisani Reverendiss. Patriarchae Pastoris vestri, beata proles. Apprehendite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis de via justa. Irascitur Dominus infelicibus illis pueris, qui discendi occasionem sibi divinitus oblatam negligunt, ignobiles illos, contemptibiles, et miseros esse permittit; pereunt de via justa relicto tramite, quod ad coelestem tenditur patriam, et ad perpetuam praecipites ruunt calamitatem. Omni igitur studio, Veneti Clerici, incumbite, ut in litteris et in sanctis moribus progressus faciatis; ne veniente aetate, negligentiae vos poeniteat vestrae, ne ab omnibus irrideamini, ne contemnamini, ne miseram ducentes senectutem, ut contemptores disciplinae, infelices sitis, et nominemini.

Praecipuum et paternum benignissimus humani generis Pater, et coeli et terrae Dominus Deus ostendit erga vos amorem, cum vos ad haec tempora reservaverit; ut ad renovandam veterem ecclesiasticam disciplinam, et ad reformandum omni ex parte Venetum Clerum (*a*) istud in Seminarium admitteremini. Quot millia Clericorum in praestantissima urbe ante vos fuerunt, in quos tam magnum, tamque illustre beneficium non fuit collatum? quibus tot commoda non suppetierunt ad bonas literas percipiendas, et disciplinam ecclesiasticam edi scendam (*b*). M. C. et amplius anni praeterierunt ab eo tempore, quo istis in insulis habitari caeptum est: in dies magis floruit Venetum nomen, aucta urbs, propagata Respublica, non tam armis et prudentia eorum, qui publicae administrationi praefuerunt, quam sincera religione, et in sanctam apostolicam Sedem romanam obedientia: plures Episcopos in Venetae Reipublicae veluti infantia illas insulas habitasse testantur historiae, ibique sedes episcopales translatas fuisse, Synodosque saepe convocatas legimus (*c*); abundasse semper

(*a*) Mendaces filii hominum in stateris, quamvis justitiae Numen justitiam jubeat. Nil mirum ergo, si in agro Ecclesiae, quae ex hominibus constat, paleae inveniantur et zizania, licet ipsa Christi Sponsa rugam non habeat neque maculam. Hujusmodi vitiorum destructio, sive *Cleri et populi Reformatio*, una fuit ex causis, ob quam Tridentina Synodus congregata est. *Sess. I. Decr. de Conc. inchoando*. Hanc generalem Reformationem indicant his verbis Apostolici Visitatores.

(*b*) Per sapientissimi Imperatoris ac Regis nostri liberalitatem hactenus inauditam, disciplinarum omnium studium ubique locorum augetur in dies. Quo majoris igitur culpae subditi omnes, praecipue Clerici, arguentur, si tot media negligant ad excolenda ingenia divinitus sibi proposita?

(*c*) Venetae historiae non jejunus novit abunde de quibus Episcopis et Synodis sermo fiat in hocce libelli loco. Patriarcha Catholicus Aquilejensis in Gradensem insulam se transtulit schisma et barbarorum caedem fugiens; Altinensis Episcopus Torcellum, Patavinus Mathemaucum, Opitergi-

Clericis plurimis catholicas insulas rationi consentaneum est. Filii, post tot innumerabiles Clericos ad vestra usque tempora vobis divinum hoc beneficium est reservatum, ut unum in locum cogeremini, ecclesiasticis sumptibus et piorum etiam hominum eleemosynis aleremini, in disciplina ecclesiastica erudiremini, bonos magistros ad optimas artes percipiendas vobis constitueret Dominus Deus. Nihil est jucundius, quam discere, nulla possessio pretiosior, quam multarum rerum cognitio, si cum vitae innocentia sit conjuncta. Vere divites bonos viros, vere nobiles doctos homines, vere felices in hujus vitae peregrinatione illos, quorum nulla scelerum conscientia pungit, nominaverimus.

O sacrum Veneti Cleri semen, o spes maxima Sacerdotum bonorum, ut pietatis et doctrinae fructus uberrimos feratis, quasdam regulas, quas vobis post visitationem nostram, quam jussu Beatissimi Patris nostri Gregorii XIII. fecimus, accipite, considerate, memoriae mandate; libellum hunc, quem vobis donandum censuimus, ut charitatis nostrae erga vos perpetuum monimentum habetote, ut unusquisque vestrum interdum se alloquatur: Reservavit me Dominus ad haec tempora, Clericus ipse sum Venetus, et in nobilissima urbe Regi nostro Christo servio, ut Clerum Venetum ornem, ut pastori meo, qui me paterno complectitur amore, mea doctrina, meis moribus laetitiam afferam: absit, ut omne studium et omnem diligentiam hac in re non collocem (*a*). Plato quanquam Athenis summus

nus Heracleam transmigravere. Olivoli, Castelli, et Rivoalti unus et idem fuit Episcopus: aliter dic de Equilii et Caprularum Episcopis; de omnibus consule Venetarum rerum historiographos et chronistas. Quoad Synodos vero obviam sunt curioso lectori Synodi Nationales et Dioecesanae Heracleae, Rivoalti, Olivoli, S. Marci, aliaeque quamplurimae, de quarum causa, numero, et chronologia vide prae caeteris Galliciolli lib. 2. a n. 850. usque ad numerum 902.

(*a*) Addat saeculo nostro nondum Sacerdos Clericus: Re-

haberetur philosophus, discendi tamen studio ad remotissimas regiones profectus est, ad Ægyptios se contulit, ut pulcherrimarum rerum cognitionem consequeretur, utque in scientiis magis proficeret, temperantiam maxime coluit, perpetuamque castitatem servasse sanctus scribit Augustinus. Et Parmenidem philosophum apud Ægyptios XI. annos commoratum esse testantur historiae. Et Diogenem scientiae avidissimum, terrenarum rerum egregium contemptorem Alexandrum regem in admirationem adduxisse; Empedoclem CVIII. annum agentem sapientiam summo studio perquisivisse memoriae traditum est. Hunc in modum sic unusquisque vestrum se ipse excitet: Hi hujus saeculi scientias vanas, et incertas illas tantopere appetiverunt, ut incommoda multa non recusarint; nos qui sale christiano conditas scientias gustare possumus, qui sine longis itineribus singulari Dei beneficio pulcherrimarum, et maximarum rerum cognitionem consequi possumus, nobis ipsi defuerimus?

Nos quae pro nostro munere, et pro nostra in vos charitate vestram disciplinam queant adjuvare, quaeve plurimum vestris studiis prosint, primum in medium afferemus; deinde commemorabimus impedimenta quaedam, quibus plerique retardantur, quo minus in literis proficiant; qua vero ratione adimantur, tertio loco subjiciemus. Vultis in primis artibus proficere, et ad multam laudem pervenire? estote discendi cupidi amate liberales artes, amate scientias: illa ipsa cupiditas intelligendarum rerum pulchrarum, ille ipse amor

servavit me Dominus ad haec tempora, quibus plurimi ex ipsis Ecclesiae filiis sanam doctrinam non sustinentes transfigurant se in Apostolos Christi: ad haec tempora, cum impiorum agmen contra Dei unicum tabernaculum et Principum sacra jura in abscondito struit insidias. Presbyter igitur factus pietatis, scientiae, et zeli potentissimo gladio contra utrosque, lorica fidei indutus, ac fortitudinis clypeo munitus, pro Deo et Rege dimicabo.

cognitionem multarum rerum vobis pariet. Sed heu mortales miseri! plurimi divitias appetunt, quibus cum abundant, deteriores fiunt; plurimi populares quosdam honores ambiunt (*a*), quibus hujus vitae quies, omneque solatium saepe adimitur, qui bonis interdum denegantur, ut magis crucientur, adulatoribus, et malitiosis quandoque dantur. Quaerenda est, filii, scientia, qua humana natura nobilitatur, qua Deo quodammodo similes efficimur, qua turpis fugatur voluptas, qua vera acquiritur laus, qua solidius comparatur honor, qua qui praestat satis nobilis est, jucundam et laudabilem vitam agit, caeteris prodest, et ad coelestem beatamque patriam contendit. Hisce et multo pluribus laudibus celebranda est scientia, si cum bonitate conjungatur; si enim malitiam comitem habeat, infructuosa, inutilis est, perniciosa plerunque est. Quare scientiam amate, filii, ut vos nobilissimo nomine hominis dignos ostendatis, ut sapientiam, potentiam; et bonitatem Dei cognoscatis, ut caeteris mortalibus prositis (*b*). Labor requiritur, filii, ut quis discat: nam ut Dominus Deus humanarum et divinarum omnium rerum rector et moderator, idemque ditissimus divites omnes efficere potuisset, ita ut nullum egestatis nomen in terris extaret, jussit tamen aliquos divites esse, aliquos inopes; divites, ut divitiarum suarum veluti oeconomos constituit, qui pauperibus succurrerent, et charitate in eosdem pauperes coelestem haereditatem consequerentur;

(*a*) Contra novae legis Levitas honores ambientes stat illud D. Gregorii Pp.: *Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniet: virtutibus vacuus, nec coactus accedat*. Lib. Past. p. 1. c. 9.

(*b*) Ideo ab exordio studiorum addiscat juvenis quilibet illud D. Pauli effatum: „Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem„. — Multi enim ob scientiam falsi nominis perierunt: superbiam enim solummodo inflat, non hominem erudit, scientia, quae non sit secundum Deum, cujus scrutator a gloria illico opprimitur.

pauperes plurimos idem esse voluit, qui patientia, sobrietate, et aliis virtutibus tutiori quodam itinere ad eandem patriam properarent. Eadem ratione potuisset idem fons sapientiae Deus ita mentes omnium mortalium illuminare, ut artes omnes, et scientias perciperent. Verum disposuit, ut aliqui doctrina excellerent, aliqui magistris uterentur: praestantibus ingeniis aliquos ornavit, quosdam mediocribus, et judicio minus valentes esse permisit; atque ad excitandos animos omnium mortalium, et inertiam fugiendam, quodammodo vendidisse scientias Dominum Deum non ignobiles scriptores tradiderunt, vendidisse autem labore (*a*). Vultis, filii, excellere in litteris, vultis esse et haberi docti Clerici? laborem diligite, otium fugite, vel minimum temporis spatium conterere dedecus magnum putate. Si quis tempus recte dividat, incredibile est, quam multa singulis diebus disci possint. Rectissime autem tempus partitum in vestro Collegio nobis compertum est: nisi igitur vobis ipsis desitis, proficietis sine dubio. Verum constantia est opus; oportet etiam ab incoeptis minime desistere, et in proposito perseverare, in quam sententiam in Ecclesiastico haec verba sunt scripta: Homo sanus in sapientia manet, ut sol; stultus autem ut luna mutatur. Et alio loco Spiritus Sanctus in eodem libro: Non ventilles te in omnem ventum; ut quidam adolescentes facere consueverunt, qui facile huc, atque illuc impelluntur, ita ut leviculi et miserandi juvenes ad nullam frugem perveniant.

(*a*) O ineffabilis divinae Sapientiae oeconomia in ingeniorum munifica varietate! Ne contremiscas igitur, Clerice, si sublimis scientiae cacumina attingere nequeas. In promptu est altus hominis scientia, quam Doctores *sufficientem* appellant. Macte virtute; reminiscere Christi verba: *In dome Patris mei mansiones multae sunt*; neque obliviscaris D. Hieronymi sententiam: *Alius in Ecclesia oculus est, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, et caetera. Non omnia possumus omnes*. Ep. ad Nep.

Tria sibi esse difficilia cognitu sapientissimus Salomon dicebat, et quartum poenitus ignorare: Viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam hominis in adolescentia sua. Lubrica est ista vestra aetas, filii, facile est in ea decipi, labi, errare. Quo magis laudandi sunt illi, qui maturitate quadam aetatis vitium corrigunt, et amabilissimae virtutis complexibus contenti solatium sibi parant senectutis, variam nimirum litterarum cognitionem. Mentis puritatem conducere, plurimum ad discendum pii homines putaverunt, et non immerito: nam in impuram et malevolam animam non intrat sapientia, morum perversitas et prava vivendi consuetudo, scientiam fugat, obscurat ingenium, nutrix est ignorantiae, et laudabilium omnium rerum expultrix perpetua est (*a*). Ad discendum confert plurimum collatio, aequalium discipulorum disceptationes crebrae, et laudabiles quaedam exercitationes, quibus magnos in liberalibus artibus progressus facietis (*b*). Jucundum est vincere ingenio, facundia, epistolarum, orationum, carminumque conscriptione praestare caeteris. At non debet esse molestum interdum vinci, si prima sequens in secundis, aut tertiis consistas. Maximam utilitatem allaturam esse Seminariis aemulationem Beatissimus christiani populi pater Gregorii XIII. judicavit. Quamobrem pro sua sapientia utrumque Seminarium Venetiis erectum

(*a*) Certe nominis veri Sapientiam adipisci nequit anima peccati sorde polluta. „ Est enim in Sapientia spiritus intel„ ligentiae sanctus... incoinquinatus, omnem habens virtu„ tem. Vapor est virtutis Dei, et emanatio quaedam est „ claritatis omnipotentis Dei sincera; ideoque nihil inquina„ tum in eam incurrit „. Sap. 7.

(*b*) Disputationum certamen sublimium Facultatum alumni olim ubique publice aggrediebantur. Quantum juvenum profectui et lectorum laudi fuerint, quisque fatetur. Utrum vero, hac majorum methodo alicubi neglecta, scientia creverit, necne; posteri judicabunt.

544

commendavit, et duo Seminaria in inclyta urbe necesse esse censuit (*a*). ut invicem excitaremini, ut disputationibus, sermonibus cum fructu et cum laudes certaretis. Juvat incredibiliter ad discendum industriam omnem, et laborem ad gloriam Dei dirigere; non dare operam litteris, ut plerique faciunt, ut inde ditentur, ut inde inanem gloriolam consequantur (*b*). Quamobrem per illum ipsum omnium bonorum auctorem, cui servitis, cavete, Veneti Clerici, ne disciplinam ecclesiasticam divitiarum cupiditate contaminetis, ut in vestris studiis quicquam vobis proponatis aliud, quam gloriam Dei, et Cleri Veneti ornamentum (*c*). Multum

(*a*) Apostolicae Visitationis tempore duo erant in Veneta Dioecesi Clericorum Seminaria. Unum *Parochialium* Seminarium dicebatur apud S. Hieremiam, ubi septuaginta duo Clerici instituebantur aere fidelium et nobilium regimine. Aliud intra claustra D. Cypriani M. a fel. record. Patriarcha Johanne Trevisan juxta Tridentinos Canones fundatum (Vide Flam. Corn. Sup. 339. et V. 11. praeterea Gallicciolli lib. II. n. 1724. 1725.). Utriusque hujus Seminarii alumnis dono datus fuit libellus iste.

(*b*) Magnum divinae Religionis ornamentum est, si plurimi Sacerdotio insigniti veluti literariae reipublicae membra summo honore habeantur. Vae autem illis, qui, vocationis fine neglecto, ob nimiam humanae sapientiae gloriam, obliviscuntur aurea illa D. Gregorii verba: „Nullum ab aliis „ majus praejudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus; „ quando.... nulla animarum lucra quaerimus, ad nostra „ quotidie studia vacamus; Dei causas relinquimus, ad ter„ rena negotia incumbimus; locum sanctitatis accipimus, et „ terrenis actibus implicamur „. Hom. de Off. Past.

(*c*) Absit omnino ut dici queat unquam quod D. Bernardus plorans ajebat. „Ecclesiasticae dignitatis officia in te„ nebrarum negotium transiere; nec in his salus animarum, „ sed luxus quaeritur divitiarum. Propter hoc frequentant „ Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant „. Serm. 6. in Ps. *Qui habitat*. Catholico Levitae in omnibus dicendum est cum Christo: „Non quaero gloriam meam sed ejus qui „ misit me „; et cum Paulo ad Rom. 11.: „Quamdiu sum, „ ministerium meum honorificabo „.

prodest ad progressus faciendos in litteris devota oratio. Invocavi Dominum, et exaudiet me, inquit David. Et alio loco: Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. Si haec a Deo ex corde petieritis, exaudiet preces vestras, clementissimus et benignissimus Pater (*a*). Verum cum tantum sciamus, quantum memoriae mandamus, ut scriptum reliquit rhetoricae magister egregius Quintilianus, memoria exercenda est; quem memoriae thesaurum qui negligit, qui non custodit, qui non auget, sciat se temporis jacturam facturum. Pythagorae discipuli quinquennio in egregia silentii arte erudiebantur, ut intelligerent omnes perfectae disciplinae veluti elementum esse linguae custodiam, ne quae acceperis, et quae loquendo profundere sis assuetus, dediscere sit opus (*b*). Ad discendum valet plurimum oris custodia, nugae valde impediunt, quo minus scientiam quis assequatur.

Commemorantur quaedam impedimenta, quibus Clerici se excusare consueverunt, quo minus proficiant. Non valeo, inquit ille, ingenio; quae audio statim effluunt; studiis litterarum minime delector: invita Minerva nihil est faciendum. Dicit alius, desunt mihi libri, utiturque illo versiculo:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Libri mihi semper desunt, nunquam ita proficiam, ut vel mediocris ingenii laudem consequar. Aliqui im-

(*a*) „ Duo enim sunt „ inquiebat Origenes Hom. 6. in Levit.: „ Pontificis opera; ut aut *a Deo discat* legendo Scripturas „ divinas, et saepius meditando: aut populum doceat quae „ ipse *a Deo didicerit*, non ex proprio corde, vel humano „ sensu, sed quae *Spiritus Sanctus docet* „.

(*b*) Utinam Pythagorica silentii methodus aetate nostra institueretur! Coerceretur saltem petulans juvenum aevi hujus garrulitas, qui Scholarum limina vix ingressi, aut Scientiarum indices pene scrutati, omniscientes de omnibus judicium audent proferre. Stulti aliquando sapite!

becillitate corporis se excusant, quidam negligentiae culpam in bonorum magistrorum paucitatem transferunt. O filii, si quis vestrum hujusmodi nugas afferret ad inertiam suam excusandam, sicque loqueretur, ut illa Davidis verba ei convenirent: Ad excusandas excusationes in peccatis; agnoscat errorem suum, intelligat se futurum miserum, nisi resipiscat. Omnia non solum vincit amor, sed etiam labor improbus. Nihil difficile amanti putabat Cicero. Verum virtutem et rerum cognitionem amanti nihil est profecto difficile. Crassum et hebes ingenium acuitur studio et diligentia, naturae impedimenta superantur, ut Demostheni accidit, et aliis plurimis. Quamobrem unumquemque doctrinae, inscitiae, laudis, aut miseriae suae artificem esse quispiam dixerit. Non solum in nobilissima et ditissima urbe, sed nullibi paupertas impedire potuit, quo minus liberales artes modesti, et ingeniosi adolescentes consequerentur; fuit potius paupertas mater industriae et artium bonarum, virtutumque omnium nutrix appellata (*a*). Scitis quid virtuti et verae laudi adversetur, vobisque pueris et omnibus mortalibus maxime noceat? peccatum. Nihil est, quod magis obscuret mentem quam peccatum (*b*); quod qui fugit, virtutem facilius consequitur, et mentis distractio doctrinam maxime impedit: pluribus enim rebus intentum ingenium fit imbecillius. Quare si sapitis, in unam hanc rem omne vestrum studium, curam, et diligentiam collocate, ut magistris vestris parentes, doctiores evadatis, ut aequalibus vestris inferiores nec habeamini, nec sitis.

(*a*) Huic sententiae conseneaneus fuit eximius Petrarcha, cum per pulchre caneret:

Povera e nuda vai Filosofia! Son. 7. P. I.

(*b*) Divina prorsus veritas, testante Scriptura: „ Initium „ sapientiae timor Domini; intellectus bonus omnibus facien„ tiqus eum „. Ps. 111. Corollarium quis non videt?

Hae autem magistrorum sunt laudes, quae ideo a nobis hoc loco commemorantur, ut vos ad maximas Deo gratias habendas pro tanto tamque insigni beneficio excitemini: hae sunt magistrorum laudes, ut recte teneant, quae docent; aperte et distincte sensa animi explicent sua; dulciter imprimant in auditorum animos, quae proferunt; ex animo discipulorum utilitatem exoptent; exemplis et similitudinibus utantur saepe, et libenter se discipulis morum gravitate, vitae innocentia, et perpetua castitate venerabiles exhibeant; rerum cognitionem, quam sunt multo labore consecuti, Deo acceptam referant, minime vulgatas, sed reconditas sententias seligant, et in discipulorum animis imprimere conentur. Magnum Dei donum est bonus magister. Vobis, filii, non unus, sed schola una magistrorum singulari Dei beneficio data est. Jam vero qua ratione vos tanti beneficii non esse ingratos ostendere debeatis, paucis verbis indicamus. Magistros vestros honore prosequamini, illis obtemperetis, illos ametis, attentis auribus audiatis, eorum reprehensiones, correctiones omnium generum, non solum aequo, sed libenti animo etiam feratis.

Qui libri prae manibus vobis habendi sint, qui fructus ex gentilium scriptorum lectiones vobis sint capiendi, longum esset praescribere. Vos in primis monemus, ut parvum libellum, quo summatim tota christiana doctrina continetur, habeatis semper prae manibus, memoriae mandetis, recitetis, saepe vos invicem interrogantes: nihil enim potest esse turpius Clerico, quam capita christianae doctrinae non habere comprehensa animo, non posse ex tempore recitare (*a*). Sunt qui ab

(*a*) Aurei libelli studium, quo Fidei rudimenta pueri docentur Venetiis, laudant alibi Visitatores in libello ad Clerum, et hic enixe proponunt Clericis. Hinc lex Synodi sub Patriarcha Francisco Corrario, „quod singulis festis Cleri„ ci Scholis Christianae Catecheseos intersint„. Hinc san-

Ethnicorum librorum studio Clericos deterrendos censent, quandoquidem fabulas multas immisceant, turpes voluptates proponant, flagitiorum plurimorum memoriam suis in libris inserant, lenociniis quibusdam verborum vanitatis, et impietatis etiam suasores esse videantur. Vanissimum fuisse Ciceronem dictitant, de se ipso nimis multa ambitiose loquentem, inanem gloriam magnifacientem, adversantia saepe in suis scriptis afferentem, modo Peripateticos, interdum Academicos, aliquando Stoicos philosophos sequentem. Poetas falsa de Diis confingentes, turpes et nefarios amores describentes, tanquam veritatis hostes, et adolescentiae corruptores censent abjiciendos. Philosophos veluti mendacii et arrogantiae magistros, cum nihil fere certi protulerint, et eorum vita a sententiis, quae in illorum libris comprehensae sunt, discrepaverit, contemnendos dicunt; veram philosophiam libris sacris fuisse comprehensam, ab illisque esse petendam. Sanctum Cyprianum Episcopum et Martyrem scriptorem eximium; Ciceronis loco sanctum Ambrosium, omissis libris de officiis; ecclesiasticas Rhetoricas, quae ab ecclesiasticis viris conscriptae sunt, omissis illis praeceptis, quae Ethnici tradiderunt, censent esse studiose legendas. Juvenci, Prudentii carmina ediscenda, rejectis Plauto, Terentio, Horatio, Virgilio, et aliis Poetis; sed in primis Davidicos psalmos memoriae commendandos in quibus lumina ingenii, et praeclarissimae sententiae reperiuntur (*a*). Fuerunt optimi quidam Episcopi, qui

ctissima praxis de hujus libri *ad literam* quaestionibus illos interrogandi in Examinibus a Tridentino Concilio praeceptis (sess. 23. cap. 12.) ante Ordinum susceptionem.

(*a*) Utrumque conciliare posse cautissime Clericorum Institutores, ipsa ratio docet. Sacrorum autem studiorum cum prophanis conjunctio, praesertim Eloquentiae sacrae magistris, praecipitur a Patriarcha Friderico Maria Giovanelli, cujus memoria in benedictione erit, per suam Pastoralem Epistolam sub die 21. Jul. 1785. *Per la nuova erezione delle*

piorum hominum sententias sequentes, hanc legem magistris Seminariorum suorum praescripserunt, ut ab Ethnicis scriptoribus abstinerent, Doctores tantum ecclesiae, aut viros ecclesiasticos, qui libros ad usum Clericorum conscripserint, interpretarentur. Sed profecto iidem Episcopi sententiam mutare coacti sunt, religiosis viris judicio praestantibus illorum consilium minime probantibus, cum ad latinae linguae cognitionem oratorios quosdam spiritus, e gentilium libris excerptos adolescentibus conducere, et Homeri, Virgilii etiam poemata virtutis laus dici possit; et plurima colligantur, e philosophiae, e Ciceronis etiam ipsius libris documenta admodum utilia ad conformandam adolescentiam; et Beatissimi Patris Basilii Magni auctoritate nitebantur, qui ad fratris sui filios scribens (*a*), quasdam regulas tradidit, quibus adhibitis, non minimos fructus ex gentilium libris modesti et cauti adolescentes possint capere (*b*).

Scuole de' Chierici; idque praeterea ab ultima Synodo Dioec. sub Francisco Correr Patriarcha jubetur, Cap. *De Sexteriorum Magistris*.

(*a*) Homilia haec S. Patris Basilii M. reperitur in Edit. Maurin. Serm. 2. p. 92. apud Gasparem Girardi Venet. 1751. Insuper in libro cui titulus G. L. *Homiliae Selectae SS. PP. Basilii M. et Johannis Chrysostomi* Edit. Semin. Patavin. an. 1787. Sanctorum Patrum Ecclesiae studium quanti Clericum referat, quis inficiabitur?

(*b*) Ethnicorum operum, et scientiarum, quae de sacris non agunt, dimissio maxime et pene integro impedimento foret Clericis, quominus docti fierent. E contra (proh Ecclesiastici Ordinis dedecus!) vae! si de illis dicere posset populus cum D. Hieronymo: „ Sacerdotes Dei, omissis Evan-„ geliis et Prophetis, videmus Comoedias legere, amatoria „ Bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere; et „ quae in pueris necessitatis est, crimen in se facere volu-„ ptatis „. *Ep. 146. ad Damasum*. „ Si Sacerdos est, sciat „ legem Domini; si ignorat legem, ipse se arguit non esse „ Domini Sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, et „ ad interrogationem respondere de lege „. *Idem in cap. 2. Aggaei*.

650

Quae sunt hujusmodi regulae, dicitis? hae sunt, ut quaedam, legentes gentilium libros, respuatis omnino; quaedam colligatis; cum aliquid in hac vita admirandum, aut omnino bonum, quod finem aliquando sit habiturum, vobis Ethnici scriptores proponunt illos decipi arbitremini: non magnifacienda, non admiranda illa, quae ipsi extollunt, si cum vera virtute, si cum christiana pietate conferantur, putetis. Animadvertite quam pulchre sanctus vir ille Basilius similitudine utatur. Delectantur quidam floribus ob odorem, quidam ob colorem, apes ex eisdem utilitatem capiunt, et mella conficiunt, nec omnibus floribus insident, neque ex eis, ad quos accedunt, omnem succum auferre conantur, sed quantum illis satis est ad conficiendos favos, delibant; eadem ratione dixerimus e philosophorum, poetarum, oratorum, historicorumque ethnicorum libris ea excerpenda esse, quae usum afferunt, aut ad cognoscendum, aut ad agendum. Et ut in decerpendis rosis spinas vitamus, monet sanctus vir eosdem fratris sui filios, ne dum colligere student pulchras sententias, pestiferis opinionibus imbuantur, ut quae de Diis false et scelerate proferuntur, quae de quaerenda voluptate, de amandis divitiis, de honoribus appetendis ab Ethnicis saepe usurpantur, in eorum animis minime haereant (*a*). Illud Solonis: Nequaquam virtutes cum divitiis commutabimus. Platonis illud: Extremum in justitia esse terminum, cupere magis esse bonum, quam videri. Illud ejusdem Platonis: Melius esse affici, quam afficere injuria. Periclis illud, qui eum, qui maledictis illum incesserat, cum jam advesperasceret, lumine deduxit, ne humanitatis oblitus esse crederetur. Item

(*a*) Brevis, sed omnino laudanda auctoritatum collectio ad propositionis veritatem firmandam, quas ipsa Ethnicorum scripta omnibus exhibent! Qui secus sentiret Christi discipulus, rationis lumini coecus obsisteret.

illud Euclydis Megarensis, qui mortem juramento adhibito minitanti, eodem juramento respondit, se aequissimo animo omnes injurias, mortem etiam ipsam toleraturum. Socratis illud, qui in facie caesus, nihil aliud dixit, nisi quod nomen illius, qui injuriam intulerat, in eadem facie descripsit. Alexandri Macedonis, qui filias Darii victor ne aspicere quidem voluit: egregium factum. Diogenis excelsus animus, qui Alexandrum allocutus, rogaverat illum, ne sibi solem impediret. Ejusdem dictum: Comas, aut vestes supervacaneas curare, infelicium esse hominum, aut injustorum. Epicteti illud: Ea curanda esse, quae in nobis sunt, ut electio et virtus: quae vero in nobis non sunt, ut divitiae, honores, valetudo etiam ipsa, corporis robur minimi facienda, ornandum esse animum, corpus domandum, veluti servum animae. Illud vero Senecae egregium: Illum satis esse oratorem, qui sibi res honestas potest persuadere, quosdam oratores haberi, qui blandis quibusdam sermonibus se ipsos et alios se ducunt. Haec et plurima alia cum verissimis, quae ex sacris litteris, et ex sacrorum doctorum libris colligi possunt, sententiis convenire videntur maxime: nec convenire solum, sed magnam etiam vim habere ad illa facilius in nostris animis imprimenda, ut adhiberi possit illud argumentum a minori ad majus hunc in modum: Ethnici de contemptu mundi, de spernendis voluptatibus, de ferendis injuriis, de virtutis pulchritudine haec protulerunt; nos Christiani in sacris litteris, sanctae Matris Ecclesiae lacte nutriti, in santorum Doctorum, qui in ea floruerunt, libris versati, aliter sentiemus? aliter, atque ipsi, vivemus? nobis sapientiores esse Ethnicos patiemur? Ethnici, caeteris omissis, animae curam habendam esse docuerunt, virtutes plurimas pulchris coloribus depinxerunt: nos Clerici, quibus Sanctus Spiritus in sacris litteris eadem multo uberius tradidit, praecepta salutaria negligemus?

652

Ad vos sermonem convertimus Nicolai Pontii praestantissimi Principis, clarissimorumque Procuratorum, quos hac tempestate ad procurandam Dei gloriam, et ad nobilissimum templum sancto Marco dicatum rationibus omnibus exornandum delegit Dominus, dilecti filii (*a*), legite etiam vos hunc libellum, sancta aemulatione inter vos certate, ad cognitionem optimarum artium ecclesiasticis virtutibus contendite.

Vos vero, Clerici, qui in neutro Seminariorum vivitis, et in parochialibus ecclesiis Plebanis patribus vestris servitis (*b*), vestrisque in functionibus Deo altissimo obsequium prestatis; ceroforarii, sive acolythi, qui luminaria affertis; exorcistae, si qui vestrum in fugandis spiritibus malis, et in ejiciendis inimicis Ecclesiae occupamini; lectores, qui alta voce psalmos et lectiones sacras pronuntiatis; ostiarii, qui ecclesiae ostium aperitis et clauditis; scitote his omnibus muneribus, fun-

(*a*) Anno 1581. Nicolaus Ponte erat Dux Venetiarum, venerabilis senex, ob cujus praeclara merita ad tantam evectus est dignitatem, etsi octoginta octo annos natus. Procuratores, de quibus sermo in libello, de *Supra* vocati Ducalis S. Marci Basilicae aeris administrationem olim gerebant. Maxima Procuratorum post Ducem dignitas apud Venetos. Spiritualem vero jurisdictionem in eamdem Basilicam Abbas *nullius Dioecesis* exercebat *Primicerii* titulo insignitus, Sedique Apostolicae immediate subjectus, ex pluribus privilegiis potissimum Innocentii IV. an. 1250, Alexandri V. an. 1409, Clementis VIII. an. 1596, et Alexandri VIII. an. 1690. Vide Corner, Sandi, Tentori, ec. Hinc in Patriarchali Dioecesi altera Dioecesis reperiebatur. Huic erant subditi Parochi Ecclesiarum SS. Johannis et Jacobi in Rivoalto, non secus ac quaedam alia Oratoria per urbem. Clericos hujus Dioeceseos alloquuntur in hoc capite Apostolici Visitatores.

(*b*) Etiam saeculo sexto decimo, quamvis recens esset Tridentini Concilii Decretum sess. 23. cap. 18. de Ref. circa Seminariorum institutionem, maxima pars Clericorum Venetiis extra Seminarii septa ad Sacerdotium promovebatur: et ipsimet Visitatores contra ejusmodi praxim nil novi praeceperunt.

ctum esse Dominum nostrum Jesum Christum, nobilitasse illum vestros ordines, coroneam spineam primam gestasse in capite, ut sorte sua Clericos omnium generum sacrosancto illo ornamento nobilitaret. In parvo etiam Seminario degitis (a), et vos, filii: magistri etiam vobis non desunt, Plebani vos vestri diligunt paterno amore, Reverendissimus Patriarcha summa vos complectitur charitate. Ne abjiciatis animum, filii, imo potius facite, ut cum fratribus vestris, qui in Seminario sunt, laudabili et sancta quadam aemulatione contendatis.

Verum vos omnes Clericos Venetos in universum alloquimur, utimurque Clementis Alexandrini verbis, quae sunt egregio illo in opere, quod inscripsit Paedagogus. O boni patris filii, alumni boni paedagogi, patris voluntatem impleatis, verbum audiatis, et vere salutarem Salvatoris nostri vitam exprimatis. Optabile est nomen pueri, multo magis optabiles puerorum et parvulorum mores, quod testimonio Salvatoris Domini nostri Jesu Christi comprobatur, qui pueritiam his ver-

(a) Parvum hoc Seminarium vocant Visitatores Apostolici Scholas per Venetiarum urbem dispersas, in quibus Clerici instituebantur. Invenimus enim sub Patriarcha Antonio Contareno, anno 1525, „de Plebanorum consensu institutos „ fuisse Praeceptores per singulas Sexteria ad Clericos in„ struendos „. Vide Galliciolli lib. 2. n. 1727. Haec Gymnasia sequentibus saeculis passim notantur in Synodis (Vide Syn. Sagredo Dec. X. an. 1686. Syn. Barbarigo an. 1714. et Syn. Correr an. 1741. de Sexteriorum Magistris). Imposterum etiam sub Regularium regimine scientias addiscebant exteri Clerici; donec, aere publico, an. 1775. apud Ecclesiam olim PP. Societatis Jesu, et postea an. 1785. per sex urbis tribus artis et scientiae cujuslibet ad Clerum erudiendum Cathedrae fuerunt erectae. Qui sederint in estis Moderatores celeberrimi; et quot inde exierint Concionatores eximii, optimi Parochi, veri nominis Theologi, uno verbo, doctissimi Clerici, vel recens vita functi (utinam non!) quorum nomen aeternum, vel adhuc, Deo dante, viventes ad Veneti Cleri ornamentum insigne, quis sapiens ignorat!

bis magnopere commendavit: Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regno coelorum; qui discipulos suos alloquens, pueros appellat: Pueri numquid pulmentarii habetis? Idem coelestis magister Christus his verbis utens: Quoties volui congregare filios tuos sub alas, et noluisti? vos filii et nos omnes Christianos per allegoriam pullos appellat. Qui vitii jugum non subeunt, qui ab improbitate minime vincuntur, qui ad aeternam patriam exiliunt, qui propter fidem exultant, qui celeriter currunt ad veritatem, qui sunt veloces ad salutem, qui res terrenas prosternunt et conculcant, hi pulli a Christo nominantur. Mentem aliquanto altius erigatis filii: per Oseam prophetam sic vos alloquitur Dominus: Ego sum Praeceptor vester. Praeceptor vester et nostrum omnium est Deus, qui docet semper utilia, paedagogus vester et noster est Christus. Pie sanctus Clemens, quem nominavi (*a*), appellat Christum paedagogum: liceat et nobis eodem uti nomine. Coelestem Paedagogiam idem diffinit christianam religionem, quae est doctrina divini cultus, qua gradimur ad agnitionem veritatis, recta institutio, rectaque vitae ratio, quae in coelum pueros deducit, hoc est candidas animas, minime malitiosos homines, minime propriis commodis omnia metientes (*b*). Christum divinum Paedagogum audite, Christum sequimini, filii: pastorem vestrum Venetum Patriarcham pro Christo sacrosanctam paedagogiam exercere pro certo habetote, pro eodem autem vestro

(*a*) Clemens Alexandrinus unus ex Ecclesiae Patribus, qui inter caetera opera *Paedagogi* libri scripsit apud nonnullos *Sanctus* appellatur. Vide tamen Disceptationem quam tradit Venetus celeber Sacerdos Joh. Bapt. Zugno in calce Tom. III. Eccl. Hist. Ab. de Berault Bercastel apud Fortun. Stella edit. 1793., et inferes Clementem, de quo supra, Sanctorum Albo haud fuisse ab Ecclesia adscriptum.

(*b*) O verae paedagogiae divina lectio! Eam paucis docet Apostolus Paulus: „ Non judicavi me scire aliquid inter vos, „ nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum „. I. Cor. 2.

Pastore Reverendissimo istius urbis Antistite paedagogos vobis divinitus datos, quibus ad coelestem patriam perduceremini. Sacerdotes optimos (*a*), et religiosos viros existimate, illos amate, illorum consilia sequimini, et cavete, ne ulla in re illos unquam tristitia afficiatis. Angelicum plane opus, et quasi actus hierarchicus est vos illuminare, purgare, et perficere, ecclesiastica vos disciplina instruere, a vitiis cohibere, ad virtutes excitare, ad omnipotenti Deo obsequium praestandum, ad plurimas animas Christo lucrandas vos informare: quo in munere pii illi homines, qui versantur, sine dubio participes sunt futuri bonorum omnium, quae vos aliquando labore et industria vestra nobilissimae isti urbi afferetis. Quamobrem laborum, quos sumunt magistri vestri ad vos instituendos, nunquam poenitebit, mercedem potius illorum a Principe Deo consequentur; cum Pastores catholici gregis, magistros urbis inclytae, patres populi, quem praecipuo amore diligit Dominus, et maximis quotidie ornat beneficiis, instituant. Religiosi viri, qui vos docent, in sancta Ecclesia Dei laborarant, et principi bonorum omnium, cui servimus omnes, ipsi maxime serviunt.

Ut paucis complectamur, quales vos esse cupiamus; cupimus vos esse laudabiles Clericos, dignos nobilissimae Patriarchalis Ecclesiae filios, modestos, magistris vestris obedientes, sanctis precibus deditos, frequenti sanctissimi Sacramenti Eucharistiae sumptione animas vestras sustentantes, virtutis amatores, minime contumeliosos, minime mendaces, minime loquaces, senibus semper assurgentes, et illos debitis honoribus prosequentes, nemini vos anteponentes, sobrios, pudicos, in vestitu, in incessu, in gestibus decorum servantes.

(*a*) Supervacaneum prorsus foret laudem texere illustrium virorum, qui nunc Patriarchali Seminario et cujusvis nominis Gymuasiis Venetiis praesunt, vel Cathedras honorant: illorum scientia et virtutes praedicantur ubique.

Cupimus vos esse ornamentum venerabilis istius Cleri; gloriam Reverendissimi Patriarchae, cujus maxima in vos extant beneficia, laetitiam totius amplissimi Senatus, qui non desinit vestris consulere commodis: vestrorumque Parochorum, quos maxima observantia prosequi debetis, solatium (*a*). Optamus vos esse veluti exemplaria virtutum omnium caeteris Clericis: per vos renovari ecclesiasticam disciplinam; per vos adhuc magis nobilitari istum, quem vehementer amamus, Clerum; a vobis instrui populum in doctrina christiana. Cupimus vos evadere egregios Parochos, veluti spirituales medicos, et peritos confessarios; qui monialium etiam monasteriis, quae piorum Sacerdotum consilio et auxilio indigent, aliquando consulatis. Optamus demum vehementer, ut Venetum populum ad beata pascua aliquando perducatis; doceatis inter missarum solemnia gregem, qui vestrae fidei committetur; purgetis, illuminetis, perficiatis in ecclesiastica hierarchia, in militante Ecclesia animas piorum Christi sanguine redemptas ad beatam patriam creatas. Eritis, filii, quos vos esse cupimus, si vobis ipsis non defueritis.

(*a*) O Clerici, qui modo aureum hunc libellum perpenditis, paucis mutatis, ad vos haec eadem Visitatorum verba convertite. Cupit, dicite alterutrum, cupit pia mater Ecclesia nos esse ornamentum Capitis sui, cui non adhaerentes (absit!) nec Christi essemus ministri: cupit fieri nos gloriam Excellentissimi Johannis Pyrker Patriarchae nostri, qui nos ut pater corde diligit, ut doctor scientia erudit, ut pastor exemplo et opere dirigit: cupit affici per nos vera laetitia Augustissimum Caesarem, qui sane pius et munificus Clerum protegit, utpote Sceptri sui validius munimen: cupit nos fore Patrum in Christo gaudium, Parochorum nempe, quorum pabulo nutrimur, et sollicitudine regimur: cupit nos aliquando futuros religiosi ac doctissimi Venetiarum Cleri laudabile decus, animarum salutem, peccatorum solatium, Christiani gregis duces et magistros, ut bonum in terris certamen certantes, consummato cursu, et serbata fide, cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiamus immarcescibilem gloriae coronam.

Quadringentos fere in Veneta urbe Clericos, si illos qui in Seminariis degunt, et illos, qui singulis parochialibus ecclesiis ministrant, numeraverimus, esse comperiemus (*a*); quem numerum nescimus, an quis in alia urbe quamvis catholica et magna reperiet. Contendite, filii, sancta, quadam aemulatione, inter vos certate modestia, humilitate, devotione, laboris tolerantia, nemo vestrum cedat condiscipulo, nec illis, qui in Seminariis Ecclesiasticis sumptibus aluntur, cedite vos, qui in paternis aedibus sub parochorum vestrorum cura per sex tribus (*b*) erudimini, imo potius efficite studio et diligentia vestra, ut totidem et vos horas, quot Clerici Seminariorum, in litterarum studiis ponatis, ut eadem devotione sanctissimo Eucharistiae Sacramento singulis saltem mensibus vos etiam ipsi recreetis (*c*). Gregorius XIII. romanus Pontifex, summus pastor, communis Christiani populi pater, eximius Seminariorum fautor novorumque collegiorum, et piorum omnium operum institutor et propagator egregius, Eccle-

(*a*) Venetae Religionis monumentum insigne! Ferme quadringenti minores Clerici tempore Visitationis Apostolicae in una tantum urbe numerabantur! Quis tempora conferens non percipiat, quo pervenerint hodie depravati hominum mores! Quomodo enim ministerium Christi, per quod labores, vigiliae, persecutiones sustineantur oportet, juventus nostra optabit, quae voluptates, divitias, mundi gaudia adpetit et inquirit! Fiat, fiat in illis, qui Vocationis dono non obsistunt, duplex Spiritus Dei!

(*b*) Majores nostri Venetiarum urbem in sex tribus distribuere, quae *Sexteria* vocantur.

(*c*) Praeter Pastoris munus, etiam ex praecepto sanctissimo Synodorum tenentur Parochi, quarum Ecclesiis Clerici inserviunt, eorum mores diligentissime investigare, et „saltem quod singulis mensibus ad Poenitentiae Sacramentum „ et Sacram Synasim accesserint, praeter sacratiores anni „ solemnitates „ testimonium scripto exaratum cum caeteris quae requirit Synodus Correr De sac. Ordinis, Reverendissimo Ordinario exhibere, quoties ad sacros Ordines promoventur.

siae sanctae Dei hoc tempore divinitus datus, reditibus ecclesiasticis alterum Seminarium vestrum stabilivit (*a*); stabiliet, ut speramus et alterum pro sua benignitate: non deerit vobis benignissimus supremus Dominici gregis pastor, et eo libentius, si de progressu vestro in studiis litterarum, de vestrique optimis moribus certior factus fuerit. Divinus paedagogus, magistrorum magister, optimus Rex noster Christus opem vobis feret, filii, ejus minister Reverendissimus Patriarcha, paternam de vobis curam habebit, summi Regis oeconomi, divites nempe, nobiles viri succurrent etiam vobis: non egebitis, abundabitis, si timueritis Deum, si ejus praecepta servaveritis, si magistris salutaria vobis consilia proponentibus obtemperaveritis. Nec vobis unquam deesse poterunt Parochi, Sacerdotes Veneti, qui vos magna charitate complectuntur. Et nobiles etiam viros vitae innocentia, et zelo honoris Dei valde incensos, Johannem in primis Baptistam Contarenum (*b*) excita-

(*a*) Seminarium, quod hic Visitatores notant, utpote a sanctissimo Pontif. Greg. XIII. jam statutum, illud idem est quod paucas post periodos *Gregorianum* appellatur. Originem habuit pro Clericis Dioeceses Primicerii sancti Marci (*de qua supra nota* (a) *pag.* 62.) apud Ecclesiarum SS. Philippi et Jacobi ex Apostolico Diplomate laudati Pontificis an. 1579: decem post annos transiit apud S. Nicolaum vulgo *di Castello*, ut videre est in opere celeberrimo: *Eccl. Venet. illustratae a Flaminio Cornelio* Dec. XVI. P. I. *Alterum* vero *stabiliet*, addunt Visitatores: Et hoc est intelligendum de reditibns certis, qui sufficerent ad Seminarii Patriarchalis S. Cypriani impensas explendas. Re vera statuerat sollicitus Pontifex summus Clerum utrumque, nempe Clericos saeculares et moniales, censuris coercere ad solvendas decimas tanto operi jussas a fel. rec. Patriarcha Trevisano, et hoc anno 1585. Aliter vero progressu temporis per Romanos Pontifices et Patriarchas nostros res processit: vide prae caeteris Galliciolli lib. II. n. 1725.

(*b*) Ut vidimus (*nota* (a) *pag.* 54.) nobiles viri zelo incensi divinae gloriae sumptibus et opera *Parochialium* Seminarium regebant. Hos laudant Apostolici Visitatores, et in aliis

vit Dominus, qui piam et paternam Antistitis vestri charitatem adjuvarent, et vestris commodis rationibus omnibus consulerent. Pergite igitur, ut facitis, filii, attendite, gloriam Dei ante oculos habete propositam, et expectationem, quam de vobis concitastis, minime fallatis. Doctrinae vestrae, disciplinae vestrae fama Romam usque perveniet. Beatissimus Pater noster Gregorius Gregoriano Seminario, altero etiam, quae vivae vocis oraculo, ut nos probe scimus, commendavit, gaudeat; fructus expectatos recipiat tandem nobilissima et florentissima ista urbs. Sitis vos sacrosanctum semen, quod verae pietatis, christianarumque omnium virtutum fructus uberrimos et nobilissimos ferat: unde benedicant Dominum Veneti omnes in saeculum saeculi, quod in Seminariis et in parochialibus etiam Ecclesiis educentur, qui aliquando optimi Sacerdotes et egregii Parochi sint futuri, Venetoque populo coeleste iter sint demonstraturi.

quemdam ex vetusta Contarena Sobole, quae in Veneti nominis decus plurimos pietate, toga, et armis viros insignes edidit.

Si plura desideres, lege Ecclesiae Venetae historiam, quam eruditissime elucubravit P. Christophorus Tentori Soc. J. et in Tom. IV. V. VII. VIII. et X. inseruit operis praeclari, cui titulus: *Saggio sulla Storia Civile, Politica ec. di Venezia* edit. apud Storti an. 1788.

Plurium magni nominis Virorum Series,

Qui Venetiarum Urbis saecularis Cleri alumni saeculo tantum sextodecimo floruere. Ferme omnium opera eximia typis edita cuicunque innotescunt. Consule Alberico, Zeno, Corner, Galliciolli, Tentori, Agostini, aliosque rerum Venetarum Scriptores.

Argentino Franciscus Episcopus Concordiensis.
Arseo Aloysius Parochus S. Cassiani.
Bembo Petrus S. R. E. Cardinalis.
Barbaro Hermolaus Patriarcha Aquilejensis.
Barbaro Daniel electus Patr. Aquilejensis.
Balbi Hieronymus Ep. Gurgensis.
Bettegà Marcus Vicarius Patriarchalis.
Baldo Balthassar J. U. D. Par. S. Fuscae.
Boarato Laurentius Par. S. Jo. in Oleo Vic. S. Marci.
Boscherius Angelus J. U. D. Par. S. Geminiani.
Bardis de Hieronymus Par. S. Samuelis.
Bogotisio Blasius J. U. D. Par. S. Basilii.
Bacconus Caesar J. U. D. Vic. S. Bartholomaei.
Bevazano Augustinus.
Bognolo Laurentius Vicarius S. Marci.
Cocco Antonius Archiepiscopus Corcyrensis.
Contarini Gaspar S. R. E. Cardinalis.
Comendano Jo. Franciscus S. R. E. Cardinalis.
Contarini Petrus Franciscus Patr. Venetiarum.
Colombo Petrus.
Catena Petrus Univ. Patav. Prof.
Diedo Vincentius Patr. Venetiarum.
Domenichi Dominicus Episcopus Torcellanus.
De Dotis Gaspar J. U. D. Par. S. Joh. Decollati.
Danesius Victor J. U. D. Par. S. Simeonis Proph.
Emulio Marcus Antonius Episcopus Rhetinus.
Electis de Joh. Baptista Par. S. Apollinaris.
Electis de Joh. Baptista (nepos) Par. S. Apollinaris.

Egnatius Johannes Baptista.
Fuba Cosmas Par. S. Joh. in Oleo Vic. S. Marci.
Filomuso Petrus Par. S. Paterniani.
Floravante Rainerius S. Theol. Doct.
Fornasari Lucas Par. S. Marinae.
Grimani Marinus Patr. Aquil. S. R. E. Cardinalis.
Grimani Dominicus S. R. E. Cardinalis.
Giorgio Nicolaus Par. S. Antonini, inde Ep. Pharensis.
Guido Desiderius J. U. D. Par. S. Bartholomaei.
Grasolato Jacobus J. U. D. Par. S. Apollinaris.
Giordano Gregorius.
Ingegnero Johannes Ep. Justinopolitanus.
Invitato Raphael S. Theol. Doct.
Loredano Marcus Archiep. Jadrensis.
Lippomano Aloysius Ep. Bergomensis.
Langa Sanctes J. U. D. Par. S. Paterniani.
Liburnio Nicolaus Par. S. Fuscae.
Lioni Ambrosius S. Theol. Doct.
Marcello Christophorus Arch. Corcyrensis.
Mocenigo Philippus Arch. Cyprius.
Mozzanega Johannes J. U. D. Vic. Patriarchalis.
Morario Nicolaus Decret. Doctor.
Minta Andreas.
Musato Petrus.
Navagero Bernardus Ep. Veronae S. R. E. Cardinalis.
Negro Hieronymus Can. Patavinus.
Negro Franciscus Proton. Apostol.
Pizzamano Antonius Episc. Feltrensis.
Paruta Bartholomaeus.
Pizzamano Angelus Doct. Par. S. Paterniani.
Pontererio Ludovicus.
Pegoloto Laurentius Decr. Doct. Par. S. Cantiani.
Pozzo de Victor J. U. D. Par. S. Bartholomaei.
Panteo Johannes Augustinus.
Penna Antonius.
Quirini Thaddaeus Archipr. Cathedr. Patav.

Ragazzoni Hieronymus.
Rizzo Johannes Decret. Doct. Par. S. Hermagorae.
Renio Carolus J. U. D. Par. S. Thomae Ap.
Regiselmo Paschalis.
Renio Nicolaus J. U. D.
Stella Antonius Par. S. Moysis.
Stridonius Philippus Par. S. Johannis Decollati.
Sappa Marcus Antonius.
Stella Johannes.
Turana Caesar Par. S. Marinae V.
Valerius Augustinus Ep. Veronae S. R. E. Cardinalis.
Vendramin Hieronymus S. Theol. D. Par. S. Mauritii.
Venerio Franciscus S. Theol. D. Par. S. M. Magdal.
Valle a Jacobus J. U. D. Par. S. Johannis Chrisost.
Verdizzoti Johannes Maria.
Zeno Jacobus Episcopus Patavinus.
Ziletti Modestus.
Zancanari Nicolaus J. U. D. Par. S. Lucae Ev.
Zucconiano Johannes J. U. D. Par. S. Thomae Ap.

Hactenus Veneti Cleri status saeculo sextodecimo. Utrum saeculo posteriore virtutibus creverit, necne; sat est asserere illum a Clemente Pp. XI. fuisse propositum ut exemplar doctrina et probitate caeteris Italiae urbibus. Vide Flam. Corner Dec. XVI. et Historicum Ab. Tentori Tom. X. pag. 287.

Si quis autem agnoscere cupiat, qualis Clerus ipse fuerit in posterum usque ad nos, facta perpendat, bibliothecas evolvat, cathedras scientiarum aspiciat, Ecclesiarum acta scrutetur, plebem ipsam interroget, sapientes denique consulat, illos nempe, qui juxta Spisitus Sancti doctrinam (Sap. 7. 13.) sine fictione didicerint, sine invidia communicent, verique honestatem malevoli non abscondant.

FINIS.

Pag.	Errata.	Corrige.
5.	Michaelis	Michaeli
15.	sanctissimom	sanctissimum
17.	quod apud vos	quos apud vos
19.	not. (*b*) exhibeat	exhibent.
23.	not. (*a*) Imitetur	imitetur.
32.	Ecclesiis	Ecclesiae
41.	colligit	colligite
46.	habitantes	habitant
47.	tramite, quod	tramite quo
52.	(*a*) dome	domo
56.	(*a*) conseneaneus	consentaneus
	(*b*) facientiqus	facientibus
59.	(*a*) Petris	Patris
	(*b*) quae	quod
	eat	est
61.	se ducunt	seducunt
63.	(*a*) estis	istis.
66.	(*b*) serbata	servata
68.	(*a*) Ecclesiarum	Ecclesiam
72.	Spisitus	Spiritus